

Vita hominum mors est, solum hoc est uiuere, siquis
Res dignas longa posteritate gerat.
Cūcta rapit cursu uolucri mortalia tempus.
Quā peperit uirtus fama perennis erit.

CONTENTA

PHILIPPVS GVNDELIVS PATTAVIENSIS
Inreconsultus & Poeta.
LECTORI.

EN tibi Sarmaticæ lector primordia gentis,
Atq; Iagelliados clara tropæa domos.
Vsq; SIGISMVNDI congesta in tempora Regis
Quo nihil hæc uno sæcula maius habent.
Seu uelis in magnis uictricia robora bellis,
Seu mage tranquillæ munia pacis ames.
Saltem simplicitas & amandi gratia ueri
Hic tibi sit blando carior eloquio.
Inuenies cultis non aspernanda Camœnis,
Inuenies certa prodita cuncta fide.
Sarmata, Teutho, Getes, Scytha, Vandalus, acer A/ (launus,
Et quos præterea iunctior Vrsa uidet.
Mascula queis tribuit per mille pericula uirtus
Terrarum dominis imposuisse iugum,
Hic fuerint omnes aliqua tibi parte legendi,
Ne modo digna odio Barbara uerba putes.
Magna tibi ex aliis poliendæ copia linguæ,
Verum hæc unde queas discere, nullus erit.
Namq; leges Latiis non inferiora triumphis,
Quin etiam Grais anteferenda leges.
Verba petant alii, sed nos mage facta iuuabunt,
Illa leueis Danaos res trahat, ista uiros.
Compenset tenuem rerum uis ardua uænam,
Narrari saltem, non cupit illa coli.
Tu modo tu Decium lector dulcissime nostrum
Ne facti maneat gratia nulla caue.
Cui fuerit labor is per tanta negocia curæ,
Qui laudem ueterum commoda nostra iuuet.
Audacis ueniam quamq̃ petit ipse laboris,
Iudice me meritæ præmia laudis habet.

SERENISSIMO AC INVICTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO SIGISMVNDO DEI GRATIA SARMATIAE AC POLONIAE REGI, MAGNO LITHVANIAE DVCI, RVSSIAE PRVSSIAEQVE ETC. DOMINO, AC HEREDI, IODOCVS LVDOVICVS DECIVS EIVS MAIESTATIS SECRETARIVS LONGAM SANITATEM AC FELIX IN TRANQVILLITATE IMPERIVM OPTAT.

AD hæc tua inclytissime princeps tẽpora, Quattuor libros historiæ & annaliũ regni Poloniæ Excellentissimi dñi Matthiæ Miechouieñ artium & medicinæ doctoris, a sacris, Graccouieñq; Canonici, uiri tum optimi, tum in patriã gloriam studiosissimi in lucem dedi. Quibus & tua maiestas, & candidus lector facile cognoscet, quantum laboris susceperit, me quidem iudice, non sine periculo assumptam prouinciam esse crediderim, eo q, in tanta rerum magnitudine uarij sint casus, presertim quom hi sequendi sint, qui aut nihil, aut parum, ac id ipsum quoq; mutilum, posteris tradidere, Etenim in prima hominum ætate, uix ullis tanta sollicitudo, raraq; hæc cura fuisse creditur, ut rerũ ab se gestarũ memoriã quæq; gens ad posteros litterarum monumentis perferret, hinc factum certo constat, multa egregia gentiũ facinora clara perenniq; memoria digna, scriptorum penuria in æternam gemendamq; obliuionis noctem abijsse. Populorumq; potissimum martialium, & eorum qui initio ab expeditioris linguæ iactabundis Barbari sunt appellati, his manibus, corpore & sanguine, totis deniq; uiribus agere facereq; impensius quã dicere lubuit, illis expedita lingua, ut sæpe minus etiã clara facta, sermonis cultu adornare, sua extollere, aliena semper pessundare placuit, ut qui nõ armis, lingua tamen essent uictores, & si quando uicti, magis fessi pugnando cessisse, q̃ in apertam fugam acti crederentur, effecere. Hinc Grecorũ gesta, atq; Italorum facta toto orbe memoranda, litteris commendata. Verũ (si licet dicere) aliquanto minora q̃ fama feruntur credenda. Hinc Hispaniarũ atq; Gallorũ, & his proxime, Germanorũ res tanto sunt & uetustiores atq; clariores, quo citius linguæ facundiam armis iunxere, ubi enim & illud compertum, in armis uim & potestatem, in litteris uero laudem & gloriam consistere, Facile factũ est, ut qui martia uirtute Italis aut æquales essent aut superiores etiam lingua expeditiori sumpta illos ingenio quoq; uincerẽt. Hincq; euenit, ut qui totius orbis imperium non tam ui aut armis, q̃ arte & consilio, pauloante possedisse perhibentur, apud Germanos litterarũ studijs paulisper crescentibus, aliena mittere, suaq; tueri, & tandem simul cũ imperij dignitate, externis colla submittere sint coacti. At initio diuersis dissimile studiũ fuit, quisq; sua arte cõtentus, cupiditate & inuidia nihil dominante, satis cuiq; sua placebãt. Postq̃ uero Salustio te

Ex incuria litterarũ, res gestę plerorũq; ingloriæ.

ste) libido dominandi hominũ mẽtes inuasit, uaria quoqꝫ studia reperta sunt. Eorum qui in altũ uel fato uel ingenio agebantur, summa ars credita, natiões atqꝫ populos subigere, classem parare, terra mariqꝫ imperiũ augere, uicissim quibus sua cara, urbes muro cingere, mœnia erigere, certis instrumẽtis hostẽ remouere studebant, quo sæpius fœliciter gesto, in hostiũ castra excurrere, uarijs artibus molestare, atqꝫ libertatẽ suam aut uendicare aut conseruare statuerunt, hinc urbem, urbi, nationẽ populis iungere, & reges sibi constituere placuit, qui miro omniũ consensu leges dicerent, domi forisqꝫ, pace & bello imperiũ summũ haberent. Sub his gentes & populi aliquãdiu militantes in regna & imperia uarijs nominibus ascitis creuere. Verũenimuero Poloni populus maximus, suis his sedibus ab initio contentus, nec unq̃ pulsus, quo tempore aut quibus ducibus intrauerit, in opinione magis receptum quam certa traditione cognitũ crediderim. His tamen egregia facinora nũq̃ defuere. Sed dolenda scriptorũ penuria, cuius supra memini, clara illorum facta obscurauit. Necesse itaqꝫ fuit ex mutilis fragmentis congerere, quod nostram ætatem præcessit, & hinc laboris facere periculum. Cæterum quia a plerisqꝫ uel sententia uel stilo dissentiendum erat, quod omnia ad usum patriæ essent citanda atqꝫ scribenda, periculi metus auctus esse uidebatur. Quom uero alterutrũ uiolandũ esset, uicit amor patriæ, & ab optimo uiro ꝓuincia assumpta est, nõ quæstus aut ambitionis gratia, sed studio patriæ, ut abscõditum diu, in lucem daret, simul ut his, qui ad hoc nati magis crederentur, uel exemplum uel argumentũ præstaret, illud tamẽ fecisse comperi, quod sua sponte neminem læderet, et quantum historiæ fides permitteret, de rebus bene uel male sentiret. Hæc omnia quantulacũqꝫ sint, de illius ingenio & labore, meis uero impensis nata, Inclyte Princeps tibi, uti ab initio in Epistola mea præfatus sum, debentur. Ea tua Maiestas pro sua clementia suscipere non dedignetur. Iam uero quando ad tua uentũ est tempora, quibus tua maiestas, quod faustũ ac bonũ sit, fœliciter huius solij apicem conscendit. Regniqꝫ ac imperij habenas beatis et auspicijs et cõsilijs suscepit. Ego uero sub regni tui initio, deo uel fato uolẽte in hoc regnũ ex Germania, mea parria, intraui, moxqꝫ in fidelissimi tuæ Maiestatis clientis, Magnifici Ioannis Boneri Landani famulatũ assumptus sum. Statui igitur ab eo tempore, quo & Polonia te optimũ sibi principem & regem præfecit, illaqꝫ & tua maiestas clementer me susceperitis, annalium temporũqꝫ tuorũ historiam meo marte conscribere, simul eam in ipsa fœtura in lucem dare, me, atqꝫ hoc quicquid est, tibi principi clementissimo nuncupatũ offerre. haud nescius quod laborem meis maiorem uiribus susceperim, occurrunt enim in ipso scribendi initio, non uulgaria argumenta, quæ me (nisi summa in hoc regnum obseruantia ad nullũ recusandũ laborem mouerer) ab incepto merito deterrerent, omniũ primum quod hæc meam professionẽ & facundiam exuperant, foretqꝫ hominis alioqui doctioris me, officium. huic proximũ est, quod uix omnibus per me satis fiet, atqꝫ ut in apertũ altiusqꝫ res euadunt, ita multorũ iudicijs exposita omnia cernũtur, ea quæ sibi quisqꝫ uel suo iudicio tribuit, uel facilia putat, æquo fert animo, atqꝫ eternis laudibus exornat, at si quid contra opinionem uel uerissimũ scripseris, hoc ut supra captum uiresqꝫ

Polonorũ origo incerta.

Dñi Mechouien. candor.

Materia opis.

Difficultates operis.

ptũ uiresq; cuiuspiam ita protinus falsum quoq; habetur. Præterea ubi de bo
norum uirtute atq; gloria agitur, ut gratiæ uel odij stimulus est, eleuatur,
quom uero de malorũ uicijs & sceleribus est sermo, pleriq; supra quam credi
bile est, & prudentes decet, in bilem efferuntur. Addit hæc nostra corrupta
ætas, cui omne alienũ ludibrio est, & sua cuiq; maxima uidentur, nõ paruum
ab incepto terrorem. Verũ dum rerũ gestarum omniũ gentiũ scriptores con
sidero, nõnihil consolationis accedit, quod passim doctissimi etiam ab his ca
lamitatibus nõ fuere exempti. Pro me quidem satisfactũ putabo candido (si
quem nactus fuero) lectori, qui dũ nihil in historia perinde ac fidẽ spectandũ
esse meminerit, nõ facundiæ ornatũ, & uerborũ fucum, subsultantesue oratio-
nes, uel Liuianũ requiret liquorẽ. Quod ad humanũ est iudiciũ, nihil ad me
pertinere uidetur, quid singuli sentiant, aut credant, Dũ enim uolunt uniuscu
iusq; iudiciũ esse integrũ, fit ut per licẽtiam singula corripiantur. Cæterũ de
maiorũ uirtute uel uicijs non uideo quid maxime cuiq; alienæ res gloriæ uel
indignitatis addant. Frustra enim uiciosus et in omni scelere uersatus, maiorũ
suorũ imagines recitabit, & per ambitionẽ de penni eorũ gloria sibi gratula
bitur, quos talẽ ab se genuisse pœnitet. Sed et hoc parũ cuiusq; gloriã inficiet
si maiores sui a recti tramite diuulsi, in eternã labẽ precipites acti sunt, modo
illius uirtus & nobilitas ita refulgeat, ut potius maiorũ gloriã augeat, q̃ par-
tam aliq̃n ab illis turpiter cõmaculet, atq; demũ is sit nobilior qui uirtutis stu
diosior, & ad colendã iustitiã feruentior. Contra qui uicijs delibuti, uirtute ca
rentes, alienæ laudis æmuli, extra bonorũ fines, cũ nulla memoria agãtur. Po
stremo neq; mordax ætas me ab incepto deterret, quæ, ut est in omnes licen-
tiosior, ita mihi facilior erit omnis euẽtus, tantoq; mihi plus ueniæ debebitur
quominus illa (his calamitatibus adacta ineuitabile sequens fatũ) ambitionẽ Ordo rerum.
suã sistere potest. Sed iã ad institutum redeo optime Princeps. Scripsi igitur
temporũ tuorũ historias, quæ ut perfectius emitterentur, hũc seruare ordinẽ Primi libri materia.
placuit, ut a primordio regni adusq; aui tui tẽpora, qui primus ex alta incly-
taq; maiorũ tuorum familia, Poloniæ sceptra gessit, quædã obiter quæ in dñi
Miechouieñ Chronica (q̃d ad rem ptinere nõ uiderent) pretermissa, tñ scitu
non iniucunda referrem, intereaq; a primo Polonorum principe singulos qui
imperiũ apud Polonos habuisse tradunt, paucis recenserem, idq; totũ uno li II. Libri mat.
bro absoluere uisum est. Ab auo uero tuo ad tuaipsius tpa maiorũ tuorũ quæ-
dam gesta q̃si p Catalogũ altero libro enarrare placuit. Postremo ab eo die III. libri mat.
quo tu fœliciter sceptra Poloniæ suscepisti, in annũ salutis humani generis,
M D XVI omnia quæ memoratu digna apd' te atq; exteras quoq; natiões re
gnis tuis uicinas acta sunt, Tertio libro cõprehendere uolui, hosq; libros hi- Nuncupatio laboris.
sce characteribus excusos meo marte similiter & ære in lucẽ dedi, tuæq; Ma-
iestati inclytissime Rex hũc meũ laborẽ nũcupaui, uel illud a maiorib' sum-
mẽs exemplũ, q lucubratiões suas dignissimis qbusq; uiris solebant nomina-
tim dicatas emittere, ut si quando scriptorum auctoritas ab æmulorũ & in-
uidiæ morsibus non redimeret, eorum saltem quibus nuncupassent uel uirtu-
te uel auctoritate liberarentur. Quare ego tibi, qui summa regni sceptra te-
nes, atq; uirtute, iusticia, clementia, benignitate, humanitate, liberalitate, do-

mi forisq̃, pace ac bello cuncta gubernas, hanc meam (quantulacunq̃ est) assumptam & utcumq̃ perfectam una mecum nuncupatam offero prouinciam. Nemini enim conuenientius q̃ tuæ clarissimæ maiestati dedicari potuit, ut enim deus optimus maximus, te in regno summam auctoritatem & ipsum imperium gerere uoluit, ita etiam cunctas uirtutes, heroicasq̃ dotes, quãtum in humano potuit fieri corpore, in te uno peculiari quodam munere collocauit. Facile igitur tuæ maiestatis auctoritate meus labor ab omni æmulorum molestia erit securus. Iam superest ut receptui canam, et tuæ maiestati immaturum quidem fœtum offeram. quæ ut omnia solet clementer suscipere, hos annales simul & eorum scriptorem deditissimum maiestatis tuæ clientulũ non dedignetur. Faxit deus ut te regnãte aurea (quod sedulo anniteris) redeant secula, regnaq̃ sint te imperante beata, cõstituatq̃ te idem multorũ regũ parentem, ac Regnis tuis & nobis fortunatũ ualentẽ ac incolumem conseruet fœliciter.

Sigismundi regis Encomiũ.

PRinceps & rector humani generis, rerumq; omnium deus, initio pulcherrimã illam mundi mahinã, ut constanti mortalium pene omnium consensu creditur e nihilo fabricauit. Eamq; post primi parentis lapsum, hominibus colendam prebuit atq; subiecit. Quæ uero tunc regna, aut quis uiuendi fuerit usus, nullis ab ethnicis unq̃ certis traditũ litteris. Sacri codices unam ætatem ab Adam hominũ primo parente ad Noe illius tpa cõnumerãt, eamq; annis 1242. i. generationibus decẽ completam fuisse memoriæ tradũt. Noe uero (qui & Ianus) temporibus, famosa aquarum clades mundum deleuit, nemoq; præterq̃ Ianus ipse & filij tres Sam Chem & Iaphet cum uxoribus sunt seruati. Cessantibus uero aquis, seruatrix arca in uertice Gordiei seu ut sacræ litteræ habẽt Armeniæ altissimis montibus inuecta quieuit. Hinc constat atq; facili probatur negocio, Secũdæ ætatis ab eo loco esse initiũ, ideoq; & antiquitate et dignitate principij ceteris merito præferri, necesse enim est ab octo his hominibus uniuersum genus humanum esse seminatum. Breui itaq; coaluerũt, & primis Armeniæ sedibus repletis, nouas inquirere operæpreciũ fuit, hinc orbis totus colonijs & habitatoribus repletus, ut uetustissimis traditũ est litteris. Verum nõ est in animo orbis situm atq; gentium omnium origines indagare. Postq̃ uero paucis docuero orbem in tris partes, Asiam, Aphricã (quæ et Libya) Europamq; diuisam, nostramq; Poloniam Sarmatiæ Europeæ prouinciam ostendero, operam dabo ut situm eius limitesq; describam, deinde ad gentis illius originem, ceteris omnibus intermissis, stilum cõuertam. Mundum igitur in tres partes discretum esse antiquorũ traditione apparet, nec in harum rerũ approbatione immorandũ uidetur. Quandoquidẽ docti omnes, in hoc pari uoto cõuenerunt. De Europa igitur meum erit institutũ. Quæ (si poetarũ fabulis fides est) ab Europa Agenoris libye, sed & Syriæ regis filia, quam a Ioue in Taurũ mutato e Syria raptam & Cretam aduectam referunt, nominatã prodiderunt. In huius descriptione nullum negocium uidetur contrahendum, Fecit hoc Ptolemæus Geographiæ princeps, & pleriq; alij doctrina insigniti, quibus iam temporum usu fides adhibita est. Ceterum Sarmatia Europæa restat hoc loco describenda, de qua quã uerissime & breuiter potero absoluã. Eam igitur princeps Ptolemæus libro tertio, capite quinto ita depinxit. Sarmatia Europæa a Septemtrione oceano Sarmatico terminatur, iuxta sinum Venedicũ, & partem terræ incognitæ. Ab occasu terminatur Vistula fluuio & parte Germaniæ quæ est inter caput ipsius & montes Sarmatarũ, præterea a mõtibus ipsis. A meridie autem Iazigis Metanastis. Ab Australi fine Sarmaticorum montiũ, usq; Carpathi mõtis principium. Præterea continue per Daciam usq; ad Boristhenis fluminis hostia, et hinc Pontico littore, & linea quæ inde fert per littora ponti, usq; ad Carcinitum fluuium. Ab oriente ambitur Isthmo a fluuio Carcinito & per Bicem paludem, & latere paludis Meotidis

Prima Aetas mundi. — *Cataclysmus.* — *Secunda ætas.* — *Orbis diuisio.* — *Europa.* — *Sarmatia Europæa.* — *Sarmatiæ termini.*

paludis Meotidis usq; ad Tanain fluuium. Præterea ipso fluuio Tanai a parte quæ a fontibus est Tanais amnis ad incognitam terram meridionalis partis, usq; ad prædictum finē. Hæc Ptolemæi sunt, obmissis gradibus paralellis ceterisq; descriptionibus. Famosa tamē flumina nō abs re uidetur ex Ptolemæo adscribere, quæ Sarmatiam præterfluunt ex uetustiori tabula hæc sunt, Vistula q & Vandalus & Istula & Iustula uario scz nomine apd ueteres reperit, hic ex pedibus q̄si montium Sarmatiæ nascit, in mare Sarmaticū seu Balteū, q & sinus Codanus labitur, hodie etiā eo nomine uocat. Chronus aūt fluui? post Istulæ hostia Germanicū quoq; mare (q d inde forte Chroniū ueteribus) ingreditur, Nyemē hodie uocatus. Rubon fluuius in ducatu Lithuaniæ nascit, & præfatū mare ingreditur, Hinc Ternutis & Chersinus fluuij prædicto mari se miscentes ex Ripheis montibus Ptolemæo nascunt, habet Borysthenem qui hodie Dnyepr, Hypanin qui hodie Bug, Tyran qui Dnyester uocantur, reliqua non magnæ famæ censentur. Hæc apud Ptolemæum libro 3 ca 5 & octaua Europæ tabula, similiter in moderniori Poloniæ & Sarmatiæ tabula, & in domini Miechouieñ Chronicis li. 1 ca 2 latius uidere poterit lector. Pari modo de montibus censendū, quos Ptolemæus eisdem locis memorat, isti sunt, Sarmatici & Carpathi montes qui ad Hungariā se extendunt, Amadoci, Alauni, Venedici, Ripheiq; mōtes, Hæc utcumq; paucis recitata uerbis, uel ideo quia nō lubuit uetusta nomina, & plerumq; nunc incognita adferre, uel etiam quod hoc quantulumcunq; sit ad meū institutum satis uisum est, præsertim quod in maiorum traditiōibus fusius explicentur. Superest ut Sarmatiæ & Poloniæ fines qui nostra ætate sunt describam, Illudq; in regnum unum cōnumerabo, quod a maioribus pace & belli iure quesitum Sarmatiæ Poloniæq; Rex in imperio habet, Illud his limitibus terminatur. mōtibus Sarmaticis, & ad fontem Vistulæ per Silesiam ad Oderam fluuium adusq; Marchiam Brandeburgeñ per Pomeraniam ad littus Germanici maris, per latus dehinc Septemtrionale per Samagittas ad fluuij Rubonis fontes & hostia, Lithuaniam ambit ad orientem usq; ad Magnum Moschouiæ ducatum, ab ipso Germanico mari, ad Alexandri et Cæsaris aras, usq; ad pontū Euxinū ab eius littore redeundo, per Daciam idest Valachos Iazigas Metanastas. i. transiluanos & Hungaros, a meridie ad ipsos Sarmatiæ montes (q hodie Scepusiēses uocātur) per latus meridionale dirimitur. Hæc modernior & uera Sarmatiæ & Poloniæ descriptio habetur. Nullus totis finibus includitur populus qui Poloniæ regibus aut hospitij aut belli iure non esset submissus. Iam satis constat Poloniæ Reges, tam in Sarmatia q̄ in Germaniæ parte habere imperium, estq; in animo mox gentis originem describere. Poloni siquidē unde dicti sint non alijs apparet traditionibus, quā ut Miechouieñ noster perhibet ex uulgari Pole (quod planiciem seu campum sonat) nomine, quom itaq; Polonia uasta nemorosaq; sit, paucis montibus intrinsecus adornata, placuit forte hoc nomine terram quondā appellari, Verū diu de habitatoribus, quo tēpore quibus ducibus intrauerint, quasue sedes reliquerint, uaria usq; opinio tenet. Dominus Miechouieñ libro primo capite primo, gentis originem describens ex maioribus traditam affirmationē sequitur q, si hic repetere frustra

Flumina Sarmatiæ. Vistula flu. Chronus flu. Rubon. Montes Sarmatiæ. Poloniæ limites hodierni. Poloni unde.

petere, frustra conatus impenderem, Ptolemæus li 3 ca 5 Sarmatiam gentes maximas tenere perhibet, hos numerat populos. Venedos per totum Venedicũ sinum, hodie forte Prutenos, Liuones, Samagittas, Supra Daciam Peucinos Basternos, per totam Meotin Iaziges, Roxolanos, Hamaxobios, Alaunos, hodie isti Rutheni in cõmuni Podolitæ, Luceorieñ, Kiouieñ, & Lithuani creduntur. Eos tamen quos olim Alaunos dixere, nostra ætate, eum tractum putauerim, qui Volynie, pauloãte Volhanie mutatis aliquibus litteris quondam Alauni dicti sunt, hodie insigniora loca Ostrow & Luczko habet. Hinc Gotthialaunos ortum habuisse credendũ. Quom Gotthi quos olim Sarmatæ Polow czos barbaro uocabulo appellauere, ea loca habuerint quæ a tergo Russiæ inter Tanaim & Meotidem uergũt, qbus hodie Thartari insidẽt. Gotthi uero a latinis Getæ olim appellati, his gentibus iuncti Gotthialaunos constituere, hi sæpius Polonis atq; Ruthenis molesti fuere, gens hodie quoq; armis ferox, & contra Thartaricos insultus presidio est. Penes uero Istulam seu Iustulam pauciores gentes affirmat. Sub Venedibus Gitthones, a quibus Getas existimo, hodie sub magistro Prussiæ (ubi Sambieñ ecclesia) crediderim. Post Phinni, post Sulanes, post Phrungundiones, has gentes, hodie Cholmeñ, Cuiauieñ, & ducatum Mazouiæ credere placet. Ad caput Vistulæ Auarini Ombrones sub his, post Auartophracti, post Burgies, et alÿ populi apud Ptole. li. 3. ca. 5. conscripti. Hodie ad caput & fontem Vistulæ ducatus est Teschineñ, Inde ducatus Auschwinczinieñ, Satorieñ, post Graccoui. districtus, inde Vislicieñ, Sandomirieñ, qui olim populi priscis nominibus appellati, hodie in districtus per uniuersum regnum sunt conuersi. Hinc totidem Palatinatus & Prouinciæ quot forte Ptolemæus populos annumerat esse creduñt. Ad mõtes igit Carpathos ad Daciã uersus Arsietæ Saboci Pengitæ Biessi ponũtur, ut apud Ptolemæũ legit. Reliqui uero a Graccouia sub mõtibus Carpathis, hodie Sandeceñ, Bieceñ, Sanoceñ, Belseñ, Crosneñ, Premislieñ, Iaroslauieñ, existimo ex ducibus seu uictoribus sic appellatos. Hactenus de situ Sarmatiæ placuit commentari. De his plura scire cupientes legãt Ptolemæum, Melam, Strabonem, Solinum, Orosium, & ex modernis multos quibus satiati candidi lectoris esto iudiciũ. Hoc in loco ad gentis primæuæ originẽ stilum dirigere operæ preciũ erit, quibus temporibus itemq; ducibus ingressa sit perquirere. Polonorum Bohemorumq; ut unus est loquẽdi usus, ita uno initio fundatos & multiplicatos maiorum est sententia, Qui suã originem post cõfusionem linguarum apud Babylonicæ turris extructionem ita posteris referunt, Quando linguarum confusio humanas cogitatiões euertit, Slauos parentes suos quorũ ipsi prolem se contendunt, extructioni interfuisse, qui relicta Assyria per Asiam in Europam profecti, Ea loca quæ nunc Bulgarorum, Seruiorum, Dalmatarum, Croatum, Bosneñq; sunt occupasse. Exinde Lecho Zechio atq; Russo ducib⁹, ad Danubÿ ripas Zechios. i. Bohemos locasse, de principis nomine Zechos uulgari uocabulo appellatos. Conformem de Lechitis rationem ab ipso primo principe Lechio, qui in planicie consederant, quã Pole. i. campos dixere, inde Poloniã initium sumpsisse perhibent, id astruentes ex eo ꝙ linguæ commertium hæ gentes in hanc diem

Sarmatiç gentes.

Gottalauni.

Gotti.

Poloni, Bohemiq; eiusdem originis.

Ortus Polonorum.

Slaui.

habeant

habeāt, atq; ita omniū gentium qui Slauonica utuntur lingua Slauos parentes fuisse asserunt. Moderni omnes Sclauos (Italos sequentes) gentē falso appellant, nō dicam inuidia sed uocabuli ignorantia, Slaua enim uerbum apud gentē significat, hinc ab ipso primordio uerbosi crediti. Sed Sclaui apud Italos empticij serui sunt, nulla unq̄ ratione maximæ huic genti comparandi. Nulla enim in terris lingua q̄ Slauorum maior est, qua hodie utuntur Bulgari, Seruij, Dalmatæ, Croati, Bosni, Bohemi, Poloni, Vindi, Rutheni, Lithuani, Moschi, maximi populi ad ignota usq; loca. Hanc ferme originē dominus Miechouieñ affirmat. Verū Aeneas Siluius opinionē eam recitat, atq; uehemēter irridet Aegiptijs exceptis nullam unq̄ gentem origines suas tam altis initijs reddidisse, apud scriptores, quibus fides danda sit, legisse asserit, homo sua ætate ut dignitate summus ita doctrina & eruditione clarus, uerum Polonis, plusq̄ Pontificem decebat, infestus. Qui si unicum Berosum Chaldeum legisset, potuit & ipse aliam ferre sententiā. Nec tamen inficias eo, quin hunc ortum Polonos nō habuisse credam. Sed nihilo plus ad eius descriptionē mouebor. Qui de Bohemis scripturus incipit, Nugis omissis ad ea quæ memorabilia traduntur, festinare calamum, et subdit, Zechius Croatinus haud obscuris parentibus ortus gentem Bohemicā condidit, qui homicidio domi perpetrato iudicium ultionēq; fugiens in eam regionem uenit, cui nūc Bohemia nomen est, hic nemo miretur, si & a nostris hec irrideantur. Zechiū homicidam domi metu ultionis pulsum, nec sua tueri ualentem, tantam exilij ne dicam sceleris sociam colluuiem armare potuisse, quibus priscos habitatores pelleret, atq; perpetuas sibi conderet sedes. Facile enim apparet, si illa regna ante horum ingressum hominibus culta fuere, parua manu id fieri non potuisse, quod Germani nullo etiā negocio sedibus suis pulsi fuissent. Constat igitur hanc gentis nō esse originē, Atq; nūc alios recitare lubet. Qui Bohemos Saruch tēporibus Annis duobus millibus septingentis septuaginta post mundi ortum mare ratibus traiecisse, Bohemo duce qui Babylonis extructioni affuisse perhibetur, atq; ad Danubij ripas sedes locasse, terram ex nomine ducis Bohemiam uocatā tradiderunt, sed de his alias. In eam calamus festinat opinionē quæ Polonos ex Scytharum gente originem traxisse perhibet, & his quidē qui Mauricij principis temporibus mutatis sedibus apud Cimerium Bosporum consedere, bipartiti dehinc ad Septemtrionē pars una ad dextrā deflexit, quæ & ipsa in duos populos scissa, quorum alij Bohemi alij Poloni credūtur. Hæc iam opinio mox supra præfatam elidere facile potest, si Mauricij principis tempora ad Babylonicæ turris extructionem conferre uolueris, reperies multas Mauricij etates interesse. At quom hæc seipsam quoq; impugnet scriptorum auctoritate, uel hac sola ratione quod Ptolemæus princeps Geographiæ Mauriciū præcessit, qui in suis tabulis eo loco Bemos magnā gentem ponit. Esse non potest quod Mauricij temporibus Poloni uel Bohemi originē suam uel nouas sedes habuerint. Hactenus illorum assertiones adduxi, quorum traditio non satis mihi probata uidetur. Iam eorum subdam opinionem qui tempore uel dignitate uel etiam peritia magis mihi præcellere uidentur.

Sclaui falso dicuntur.

Slauonica lingua.

Aeneas Siluius Polonis iniquus.

Zechius Croatinus.

Saruch.

A BEROSO Chaldeo litteris mandatũ est, post uniuersalem aquarũ cladẽ octo dumtaxat homines esse seruatos. Eosq; humanum genus uniuersum seminasse, hæc sacræ quoq; litteræ testantur. Primas hominum sedes in montibus Armeniæ fuisse, Berosus illis nomen addit Gordiei, eo quod Armenia plures montes habeat, ut apud Ptole. li. 5 ca. 13. & in tertia Asiæ tabula est uidere. Quom autem Armenia & non Aegyptus hominũ primos parentes ab initio exceperit, Scythicæ Aegyptiæq; de antiquitate liti hinc finẽ crediderim, nec placet Aegyptios post aquarũ cladem ætate Scythis anteferri. Verum si de regnorum principijs negocium erit. Assyriorum omnium primum nõ negauerim, hæc enim & Berosus testatur, cuius uerba iam adducere statui, libro is primo ait. Ob hæc igitur Anno salutis humanæ ab aquis primordio sumpto, nostri maiores innumeros scripserunt, nos uero tediosum illorum sermonem abbreuiaturi referemus origines & tempora, & reges, eorum duntaxat regnorum quæ nunc magna habentur. In Asia quidem omnium celsissimũ Babylonicum, in Aphrica Aegyptium & Libycum, quæ unum primo fuerunt, & sub uno narrabimus. Postremo in Europa quattuor nostri enumerãt Celtiberum, Celte, Kytim, quod illæ gentes Italicum appellant, et Tuysconũ quod a Rheno fluuio per Sarmatas in Pontum finit. Addunt quidam etiam quintum Ionicum dictum, hæc ille. Hinc apparent Sarmatum Tuysconumq; regnorum tempora & alta initia, quæ & si Aeneas non uiderit præterq̃ Hebræis ulli genti attribui, parum refert. Concordat Cornelius Tacitus, apud Germanos Tuysconem carminibus celebrari. Ioannesq; Viterbieñ his accedit. Iam initio constat Sarmatum Tuysconumq;, ut unum fuisse principem & conditorem, ita unum in multa tempora fuisse regnum. Postea Berosus li. 4. scribit Anno 131 a salute ab aquis prima omnium gentium & ciuitatum fundata est a Saturno Babylonico nostro urbs & gens nostra Babylonica, & infra, Ab exordio huius Ianus pater misit in Aegyptum cum colonijs Chem, in Libyam Tritonem, in Aphricam Iapetum, in Asiam orientalem misit Gangem, cum aliquot ex filijs Comeri galli, & parum post subdit. In Europa regẽ Sarmatiæ fecit Tuysconem a Tanai ad Renum, iunctiq; sunt illi omnes filij Istri & Mese cum fratribus suis ab Adula monte usq; in Mesembriam ponticam. Hæc ille. Iam hinc liquet Sarmatum, Teuthonum seu Tuysconũ Germanorumq; Ab ipso Iano siue seruatrice archa altum initiũ summere, utcũq; ab Aenea hæc opinio derideatur. Sub Tuiscone igit᷑ gens ingressa ex Armenia per Scythiam in Europam Sarmatiamq; sedes posuit. Neq; eos per mare ratibus traiectos ut plerisq; placet affirmo. Eo quod prima hominũ ætas non creditur mari potius q̃ terræ se cum paruulis uxoribusue cõmisisse, adde etiã nauigandi tum imperitiam, & ipsum in humanis pectoribus post aquarum cladem pauorem, terra autẽ uenisse putandum est, Primumq; Sarmaticas sedes colonis impleuisse, atq; ut paulisper creuere in immensum aucti, ita in ulteriora loca ducti ad Renum usq; propagati sunt. Ceterum longo æuo omnes hæ gentes unius principis paruere imperio, quod Berosus eorum reges enumerans testatur, ubi libro quinto statim in principio inquit ut supra diximus. Anno a salute hũani gñis ab aqs, cẽtesimo tricesimo prĩmo. cepit Regnũ Babylonicum sub nostro

Gordiei.

Lis de antiquitate Scytharũ & ægyptiorũ.

Sarmatę & Tuiscones.

Tuiscon.

Ingressus in hęc loca Sarmatarum.

bylonicum sub nostro Saturno patre Iouis Beli, Qui imperauit annis 56. Anno huius decimo Comerus Gallus posuit colonias suas in regno qđ post Italia dictum est, & regionem a suo nomine cognominauit, docuitq; illos legem & iustitiam. Anno eius xij Iubal condidit Celtiberos & paulo post Samotes. Anno Nimbroti 15 Oceanus ad Ninum ægypti consedit. Anno 18 eiusdē Babylonici regis Gogus Sabæam Arabiam Fœlicem cum Sabo suo patre puer tenuit, & Triton Libyam, & Iapetus priscus Atalaa Affricam. Cur Aethiopiam, & Getulus Getuliam. Anno eiusdem 25 Tuyscon Sarmatas maximos populos fundauit, & paulopost, a Mosco principe coloniarum Moscos in Asia simul et in Europa fundatos. Hinc iterum apparet huius gentis antiquum nomen, pauloq; infra Babylonicum initium ponendum, Iam subdit Berosus inferius Anno huius Nini quarto Tuyscon Gigas Sarmatas legibus format apud Renum. Quampulchre apparet Sarmatas ad Tanaim usq; prius legibus formatos, ea ratione quod tempus illuc aduentus precesserit, quibus sic legibus edoctis ultra Tuisconi sedes quærere placuit, & ita ad Renum usq; simul & in Bohemiam & alia loca uenit, nihilominus priores sedes non relinquens. Hac ratione saluatur Blondi opinio, qua ostenditur, Slauos (ut appellat) ex regionibus trans Danubium in Istriam uenisse, nō tamen prioribus relictis sedibus, sed eorum reliquias Bohemos & Polonos asserit, quam etiam opinionem refellere non est in animo, licet Bergomeñ in suis supplementis, & alij multi, contrariam opinionem adducant, a Bohemo qui ex Babylonica confusione uenerit Italiam Alemaniāq; penetrans ultra Danubium cōsederit terram ex suo nomine Bohemiam esse uocatam.

Comerus Gallus. — *Iubal.* — *Tuiscon fundauit Sarmatas.* — *Mosci vnde.* — *Blondi opinio*

HACTENVS quod de Regni Sarmatiæ situ atq; gentis origine & ingressu apud alios legendo comperi huic operi inserere u. sū est. Eos iā principes annumerare restat, qui Sarmatis imperarūt, quousq; ad Renū regnarūt. Sexto itaq; āno Semiramidis apđ Reni Sarmatas regnauit Mannus fili9 Tuisconis, sub Zameio Ninias. Quinto Babyloniæ rege apud Tuiscones regnauit Ingheuon. Sub septimo Baby, rege Atalio imperauit Hermion uir ferox armis huic successit. Sub Baleo Xerxe octauo Assyriorum rege, Marsus, huic sub decimo Assiriorum rege Belocho, successit Gambruuus uir ferocis animi. Cui sub Baleo xi. Assyriorum rege successit Sueuus. Iterū sub xij. Altada Assyriorū rege imperauit Vandalus (a quo forte Vandali seu Vendi dicūt) Successit huic sub xiij rege Assyriorū Mamito Teutanes (a quo Teutones.) Huic sub xiiij Assyriorū rege Mancaleo successit hercules Alemanus a quo Alemani creduntur. Tantum in Beroso reperitur de his quorum imperium in Sarmatas & Tuiscones fuit. Cōtinuauit Berosus usq; ad Ascadem 18 Assyriorum regem, sed nihil amplius de horum successione meminit, qui uel Sarmatis uel Teutonibus imperauere, seu leges dixere. Beroso successit Manethon, qui nihil quoq; de his gentibus induxit, huius forte ratio dabitur ita factum esse, quod sub Hercule Alemanno a quo Alemani creduntur, iam populi in immesum aucti creuere, nec tū placuisse tot populos unius nutu subesse, atq; colla submittere. Hinc in plures populos scissos, et a ducibus nomina indita esse crediderim. Sicq; a Lechio Lechitas, a Zechio Zechos. Seu Bohemo Bemos,

Successio Regum Sarmat. ex Beroso.

mo Bemos,

mo Bemos, Alemanno Alemanos, Teutane Teutones apellatatos. Adde q; ijsdem temporibus deus optimus maximus (qui rerũ necessitatibus, quæ ad orbis uniuersi pertinent opulẽtiam nunq̃ defuit) ingenijs, moribus, potentia, uiribusq; humanum genus auxit, atq; tunc orbis uniuersus forte in tris famosas diuisus est partes Asiam, Europam, Aphricamq;, quamq̃ ante hac factũ id cõstat. Nihilominus tamen Europa sicut ceteræ orbis partes, & ipsa in plura regna scissa creditur, & hac ratione Sarmatiæ, Teutonesq; diuisi populi diuisos habuere principes atq; reges. Præterea & in seipsa Sarmatia diuisa in plures populos scissa fuit, de qbus supra facta est mẽtio, nec opere preciũ erit ea repetere quæ iam absolui, & apud auctores quos adduxi fusius continentur. Cæterum egregia & memorabilia facta, his quoq; gentibus nũq̃ defuere tam Sarmatis q̃ Teutonibus. Sed hec fortunæ iniuria deflenda citius, q̃ reparãda, quod his gẽtibus quorum clara uirtus in armis semper fuit, quibusq; facere q̃ dicere aut scribere honestius erat, perpetuæ laudes in occulto fuere. De situ & origine & principibus gentis hucusq;, quibus cognoscitur antiquitate nulli regnorum cedere, apparet etiam originis iure Sarmatas & Teutones germãnitate cõiunctos unius olim fuisse imperij, Atq; pro temporum ac principum cõditione a se prouintias denominatas esse, hinc forte Vandalos, Vindos, Sueuos, Lechitas, Zechios, Alemanos, Teutones, Vocatos, omnes tamen uno ortos initio constat. Atq; ideo naturali quodam instinctu Germani ultro ad Polonos suæ originis solum uenere, sua etiam sponte illorũ paruere imperio. Quod uero lingua fuerit in his gentibus discreta nemo miretur, hodie enim in plerisq; locis Germanica est lingua, ubi quondam Italica ultra Danubium, uel Gallica ultra Renum fuit, eoq; uentum est, ut plerumq; priscis populis, & eorum linguis sint infestissimi, id quod nulla magis ratione credẽdum q̃ quod Teuthones priscis colonis pulsis suas posuere sedes, hæc inter Teuthones & Polonos ratio nunq̃ fuit, qui nõ alternis pulsi, sed fœcũda natura progeniti, in tot aucti creuere populos, hinc ab initio semper Germanos hoc regnum summis honoribus extulit. Si quod bellum gerendum fuit, totũ pro imperij dignitate aut dominãdi libidine, aut etiam pro acceptis iniurijs, & non pro linguarum excidio factum est, ita semper Poloniæ reges in suis regnis Polonis atq; Germanis imperauerunt. Hacq; pace, his studijs, & his deniq; artibus imperium eorum creuit atq; auctum est. At malignus ille omniũ malorum sator hanc pacem auertere aggressus, ut multa & uaria, ita magna & periculosissima seminat dissidia, Quæ si non in regni iacturam inclinarent silentio transmittenda forent. Verum quom omne regnum in se diuisum desolabitur, humani generis redemptore testante, necesse erit initijs obstare, ne parua mala magnas ferant calamitates, interim tanto facilius ferenda, quãto a leuioribus res tentatur, ut enim pessimus quisq; inops uirtutum, & apud suos gloria carens, uoluntate non ratione ducitur, ita aliorum periculo clarus fieri cupit, hinc instabile uulgus (bonus tamen nullus) factiones querit, non quod regni decorem, patrias sedes, extollere, aut certe laudem quærant, sed ut inuidiæ conceptam sitim, cum suoipsius malo & periculo explerent. Hæc quoq; tãto fœliciora atq; tutiora erunt, quo feruentius seueriusq; princeps &

Sarmatæ & Teutones iũcti olim.

 senatus omnis,

senatus omnis, in has factiones iampridē animaduerterunt, omnes enim malæ factiones orbis terrarum malos semper habuere authores, bonusq; nullus unq̄ his acquieuit. Hactenus de imminentibus malis satis dictū censeo. Res gestæ domi forisq; pace, uel bello a gentis primordio ad Lechi tempora uel uerius ad Christianæ fidei susceptionē non satis constant, neq; enim apud maiores scribendi munus, uel posteris famam suam immortalem reddere studiū fuit, hinc euenit q̄ nullarum uel paucarum urbium initia uel conditores habeātur, quo tempore etiā in regno dignitates, districtus, prouinciæ diuisæ sint æque nescitur. Eas urbes quas Ptolemæus ponit nostris incognitas certū est, modernas etiam ueteribus non omnino pares esse apparet, ideoq; utrasq; annumerare neglexi, cum in ipsis tabulis antiquis & modernis contineantur, idq; quod a maioribus nostris posteris nō est relictum e propria sententia addere nō placuit, Neq; de his principibus quorū in domini Miechouieñ Chronica fit mentio tempus perdam, ea paucis absoluens, donec in ea tempora ueniam, quibus maiorum quædam gesta egregia scripturus sum, quæ foris bello acta atq; parta sunt. Iam me ad primæuos Poloniæ duces conuertam, qui partiti iam regnum dominandi uim atq; potestatem sunt adepti. Hos tamen quia dominus Miechouieñ satis descripsit paruo negocio expediam.

Lechius. A LECHIO igitur primo Polonorū principe, cū singulare adhuc regnū obtineret, dñs Miechouieñ exorditur, Is mox in Sarmatiæ simul & Germaniæ parte imperauit. Sedes suas Gneznam, Ptolemæo Limissaleū dictum, posuit, Gentem pace plusq̄ armis sibi conciliauit, Agriculturā coluit, populis urbes & loca assignauit. Imperij illius neq; principiū neq; finis certo habetur.

Lechitę. Ab hoc Lecho, quondam Lechitæ gens appellabatur, apud quasdam nationes in hanc ætatem uocabulo manente. Eo mortuo traduntur (opinione potius q̄ certa scientia) filij sibi in regno successisse, patrio auitoq; nomine Lechos quoq; appellatos. De qua re nullæ reperiuntur certæ traditiones. Sunt

Russ. qui Lechi fratrē Russ, Russios seu Ruthenos uel Roxolanos fundasse, a suoq; nomine uocasse dicāt. LEChio filioq; et nepotibus successere iudices seu principes Palatini duodecim, qui apd' Sarmatas Germanosq; leges dixere. Quā-

XII. Palatini. tum enim ultra Vistulam amnem Polonis seu Sarmatis semper paruit, tantū in Germania imperium retinuere. Næc paruū sane hoc quondam fuisse con-

Regni fines ueteres. stat, quom et Buckouietz (quod Lubeck uocant) et Maydburgium omnes deniq; Vendi & tota Marchia, Silesia, Lusatia, & Meckelburgeñ ducatus cum reliquis apud Mechouieñ annumeratis regni fine fuerint, quæ partim antiq tus belli, partim dotalicij iure in Teuthonum manus et ditionem abiere. Præterea quædam nouissimis temporibus ad Bohemos & Hungaros defecere. ita Sarmatum in Germania imperium diminutum est. q̄ uero ad hæc tempora Sarmatæ ultra Vistulā amnem tenent, Germaniæ quidem magnæ ascribitur, sed Polonorum paret imperio. His itaq; legibus atq; ducibus domi forisq; pace uel bello res omnes regebantur, donec apud hos (sicuti Romanæ Reip. initio per decemuiros euenit) dominandi potestas in licentiam atq; libidinem uersa est, hinc populus qui dulcem libertatem sectabatur, ad unius imperium animum conuertit, hominem ad omne periculum inuictū Gracum nominie.

cũ nomine ducem præfecit & regẽ constituit. Nam hoc nomine sicuti omniũ
gentium initio mos erat, ita & apud Sarmatas Polonosq; imperij primum fu
it. In his si cui ludere uidear æquo fero animo, is modo naturæ ordinẽ omni/
bus gentibus eandem dedisse legem, eaq; Polonis licuisse quæ toto orbe cõ/
munia fuere, meminerit.

GRACCVS ANNIS FERME QVADRINGENTIS ante Christum
fuisse perhibetur, qui sumptis regni fascibus breui domi rebus compositis, fo
ris quoq; hostium uim prohibuit, Gallos regna sua impetentes uicit, Gracco Graccouia con
uiam de suo nomine regiam perpetuam sedem fundauit, Aucta famæ gloria dita.
apud Bohemos imperauit. Hunc Siluius Aeneas secundo loco apud Bohe/
mos imperasse memorat, hisq; traditionibus apparet, Ex Polonis Bohemorũ
quoq; esse principium, quorũ iam altum initiũ supra citaui, ostenditq; hoc &
naturæ ratio & populorum olim germana consuetudo. Graccus uero fœlici/
bus annis consumptus suprema etate mortuus, Graccum Lechumq; filios, et Gracci liberi.
Vandam filiam reliquit. Sunt qui Graccum Romanũ dixere, ideoq; molem
super humatum corpus extructam, Romuli sepulchri (nisi quod e terra est)
similem, monticulus in nostram etatem apparet, mons diui Benedicti appel/ Grac. tumulus
latus, propter sacellum illi hoc in loco sacrum. Verum Polonorũ uetustates
hanc refellunt opinionem, eo ꝙ Graccus humili loco ad regni fastigium sit as
sumptus.

GRACCO IVRE ordinis, & gẽtis assensu, Graccus iunior (nisi inique pre/
uentus a fratre necatusq; fuisset) succædere debuit, at Lechus regni cupidita/
te uictus fratrem interemit, idq; a fera actum cõmentus. A populo ipse ultro
in imperiũ adscitus, pauloq; post prodito facinore omnibus exosus, regno pul Lechus fratri/
sus est, ceterũ contabuisse & regni uitæq; simul tristem ac meritis dignum fi/ cida.
nem habuisse apud nonnullos legitur.

VANDA GRACCI FILIA FORMA ET VIRTVTIBVS CLA/ Vanda.
ra, uirilem animum induens, regni habenas suscipere non dubitauit. Hæc
apud Polonos quarto loco regnauit, pace domi, belloq; foris insignis, Tradi
tur litteris a Ritthogaro seu ut alij uolunt Lothogaro Teuthonum principe
ob formam pulchritudinemq; in matrimonium petitam, belloq; ob eam rem
temptatam esse, quod quom fœliciter gessisset, hostesq; prohibuisset, pudici/
ciam suam dijs (in Vistulæ amnem præcipiti casu se mergendo) pro insigni
uictoria libasse, mille passibus infra Gracc. exanime corpus repertum, terræ
datum, parentisq; exemplo moles terræ imposita fertur, hodie circa Mogi/
lam, cenobium diui Bernhardi institutum professum apparet. Hinc Vistulæ
amnem diue regine precipitatione gens ex eius contactu sacrum putauit, ex
suoq; nomine Vandalum appellauit. hinc Vandalos oriundos uetustas Polo Vandali unde.
norum habet, eousq; hoc nomine uocatos colonos, donec dimissis sedibus in
Gallias Hispaniasq; migrarunt, de quo mihi infra dicetur. Vanda iam quasi
ad deos relata Gracci familia et imperium cessauit.

EXTINCTA IGITVR GRACCI FAMILIA EO TEMPORE PO Alterũ xij. ui/
LONIS (sicuti omnibus ferme gentibus esse solet) nouarum rerum stu/ rorũ imperiũ.
dium fuit, atq; ideo ad duodecim uiros futurum certe malum denuo animũ

uerterunt. Centum ferme annis sub horum secundo imperio uixisse tradun/tur. Sed cum nihil æque molestum sit q̃ in imperio habere socium, hinc fa/ctum creditur, ut uniuscuiusq; libido cresceret, Regnumq; tot haberet inua/sores quot pari iure id impetere potuere, hinc factiones creuisse, hinc diuina humanaq; uiolata esse credūtur, dumq; regnum ciuilibus dissidijs lacessitur, ultro se hostilibus quoq; manibus exponit. Ea ætate regnū Poloniæ misera/bile uisum est, dum multi qui illius cuperent imperium, qui defenderent nulli fuere. Populus tandem & magistratus periculis suis prudentes ad regium de cus conuersi, hominem militia famosum ingenioq; astutum Premislaū nomi/ne accerserunt, atq; totius rei summā illi committunt. Hic probe mihi Polo/ni a fratrum suorum moribus non uidentur aberrasse. Cornelius enim Taci/tus de Germanorū moribus habet, gentis fuisse semper usum Regē ex nobili/tate, ducē ex uirtute sumere. Hos dū prospere Poloni mores sequūtur, unius hominis ingenio grassantes Marcomānos ad extremum uicere, illisq; ultro bellum intulere, quorum pauloante uim uniuersi prohibere non potuerunt. His fœliciter gestis Poloni Premislaum non inuiti in regem susceperunt, hu/icq; Leskonis nomen indidere.

Premislaus.

Premislaꝰ idē/q; Lesko pri/mus.

LESKO IGITVR PRIMVS, VIR INGENIO ARMISQVE PO/tens, uirtutibus clarus, his initijs in ducem præfectus, quibus nobilitas sibi (qua iusto iure in regē assumptus est) accessit. Regnauit apud Polonos quin/to loco. Fama erat hunc Magni Alexandri exercitū deleuisse, at quia uere Po lonorum uetustates hoc non habent, & ab omnibus Alexandri historiam scri bentibus alienum est, illud pro fabula hucusq; celebratum crediderim.

Lesko II.

LESKONE mortuo, successit Lesko secūdus nō hereditatis neq; electionis iure, sed ioco regnū consecutus, idq; equorū cursu factum asseritur, siquidem alter Leschczek deceptione usus oxigonibus terræ fixis currentium equos læ serat, solusq; nota uia ad positam columnam illæsus primus omnium perue/nerat, & rex salutatus indubie fuisset, nisi comperto dolo interim Lesko pe/des prior ante alios columnam amplexatus esset, fraudis author morti tradi/tus. Lesko pedibus suis auxiliatus in regiū decus euectus est. Regnauitq; sex/to loco, humili genere natus, sui initij originisq; semper memor. Sunt qui hūc a Caroli magni Romanorum imperatoris filio bello cæsum scribant, id nullo modo esse poterit. Nam & si Carolus magnus bellum intulerit, id tamen su/pra septingentos uiginti annos esse non potest. Quom uero Lesko secundus ignota quasi ætate, & ferme tamē circa natiuitatem Christi regnarit, seipsam hæc assertio excludit.

Lesko III.

HVIC SVCCESSIT VNICVS FILIVS LESKO Tertius, regnauit is septimo loco apud Polonos, uir heroicis uirtutibus clarus, reip. domi pace præfuit, foris Pannonibus contra Græcos Italosq; auxiliarias copias misit. Genuit legittimum filium unum Pompilium, ex concubinis uero naturales uiginti, qui his nominibus appellati sunt, Boleslaus, Kazimirus, Wladislaus, Wratislaus, Oddo, Baruinus, Przibislaus, Premislaus, Iaxa, Semianus, Semo nitus, Semomislaus, Bogdalus, Spitzigutus, Spitzmerus, Sbign eus, Sobeslaꝰ Vissimirus, Czessimirus & Vislaus. Mortuus uero monarchiam Pompilio, ceteris reliqua,

Filij Leskonis.

ceteris reliquas prouincias, assignauit, prima omnium regni ut periculosa ita detestabilis iactura, huius rei seriem apud D. Miechouień li. 1. ca 9. lector inueniet.

POMPILIVS igitur primus a uulgo Popyel nominatus regni habenis (absumpto patre) susceptis, nihil posteris memorabile unq̃ gessit, regnauit octauo loco apud Polonos, uita excedens Pompilium unicum filium ætate puerum reliquit. *Pompilius primus.*

ASSVMPTVS IGITVR POMPILIus secundus in regem nono loco regnauit. Apud hũc imperij fasces & maiestas ceterum negocia reip. domi forisq; apud Patruos remanserũt, donec paulisper adultus cõiugem regni sociã asciuit, cuius perniciosis assentiens persuasionibus uiginti patruos ueneno homo pessimus extinxit, paulopost sceleris mulctam cũ coniuge & liberis exoluens a muribus uoratus perhibetur, horrendũ facinus, horrenda pœna compensatum. In Pompilio itaq; secundo regia stirps finem accepit. *Pompilius secundus.*

POMPILio uero morte uitæ moribus digna cõsũpto. Poloni Piastũ obscuræ sortis hominẽ, etate maturũ regẽ præfecerũt, idq; miraculo paulopost quã diui Ioannes et Paulus Romani martyrij palmã meruerũt, factũ adstruitur, hoc in loco temporum ratio in mentem subit, de qua nonnihil inferre, tandemq; sub iudice litem relinquere statui, Supra enim Gracci temporũ memini, eaq; ferme annis quadringentis ante Natiuitatem Christi Iesu fuisse (cæteros sequens) asserui, ab ea ætate in Piasti tempora anni nihil minus quã septingẽti sexaginta tres colliguntur. Sub Iuliano namq; qui anno ab orbe redempto 363 imperauit, hi martyres passi, antea miraculum hoc uix fecisse creduntur. Adde si multo post cõtigerit quã passi ad superos relati fuerunt, uti paulo infra mihi dicendum erit. A Gracci uero temporibus eo excluso ad Pyasti tempora si reges annumerentur, non nisi septem fuisse colliguntur. Ex his annis centum ferme in duodecim uiros distribuũtur anni, reliquos in septem reges numerare necessum est, atq; ita nõnihil erroris in historia comperitur, sed tanto plus illud erit quãto serius Pyasti in regnum assumptio perhibetur. Iamq; ad iudicem hæc referre lubet. Nunc uero paulo supra Pyasti ætatem Sarmatum Polonorumq; gesta mihi scribenda uidentur, quæ apud exteros scriptores memoriæ prodita sunt, maiorum uero Sarmatarũ incuria litteris nõ mandata. Cum autem hic labor a me hac sola ratione susceptus sit, ut ea Polonicis historijs adscriberẽ quæ ab alijs intermissa (maxime tamen ad rem pertinere uiderentur.) Operæ precium erit hic Gottorum (de quibus plerisq; in locis dicendum erit) initia perstringere. Altius forte hoc erat sumendum, sed dum in Polonorũ historijs hucusq; neq; a mũdi exordio, neq; orbe redempto anni adnumerantur, locus dubius sumendus omnino erat, eãq; rationẽ ab æmulorum morsibus me eripere putaui. Gotti uero aliquibus ex Scythia Europæa oriundi creduntur, alij altius eorum summunt initia ut Asiaticis q̃ Europæis malint originis solum adscribere. Non desunt item, & illi magnã scriptorum manum etiam ex ipsis Gottis ortos citantes, qui gentem hanc ex Scandia insula alijs Scanzia, alijs Scandanauia, seu Scãdauia, appellata ortã autument, idq; multis astruere uidentur argumentis. Hos Abbas Vrspergensis sequutus

Piastus. *Temporum ratio.* *De Gottorum origine obiter.* *Scandia insula*

sis sequutus in historia Gottorum multis uerbis eundem genti ortum esse demonstrare nititur, adducitq; quibus principibus inde colluuies illa egressa, in Sarmatico solo cōsederit, licet Sarmaticum nomen nusq̄ scribat, ea tamen recitat loca quæ Sarmatiæ finibus intercluduntur. Sed hinc quasi e seminario quodam nationum seu gentium officina uarias gentes egressas asserit Danos, Dacos, Herulos, Rugos, Turcilingos, Vandalos, Winilos qui & Longobardi & postea Burgundiones secundum eum dicti, multasq; barbaras nationes. Ex eisdem etiam Gothos, qui & Getæ dicuntur, cum rege Berich egressos adscribit, tandemq; tot gentiū populorumq; initia leui negotio deridet, tribus nauibus aduectos barbaros docet, unamq; in Vistulæ insula remoratam Gepidarum gentem cōstituisse affirmat, hoc homo agens ut Scytharū, Sarmatarum, Vandalorum, Hunnorum, Amazonum, Gothorum & nescio quarum non gentium origines ex Scanzia insula quasi seruatrice humani generis archa sumant, frugiferam insulam sua sponte homines procreantem, at iam multi docti huic sententiæ accedunt, maxime Danorū pleriq;, qui omnia Gothorū in orbe terrarū bella ex se gesta gloriātur. Præterea dū Vrspergensis hæc studiosius exequitur paulo infra. Per eosq; etiam Vandalos expugnatos & suis uictorijs applicatos, quos pauloante inde egressos asseruit, adscripsit. Hæc in suis Chronicis clarius lector inueniet, Ego uero uirum optimum utpote alios secutum, nulla omnino culpa maculare uolo, omniumq; opiniones ad iudices referre placet, uerum in eius & eorum quos sequutus est sententiā accedere nō lubet, neq; tamē inficias eo gentem ex Scandia insula tribus nauibus aduectam, rigidum horrescens cœlum, sed harū sedium nō primos cultores, neq; habitatores expulsos crediderim, potius Sarmatiæ uastis insedisse campis, ibiq; sponte primo sine bello multiplicatos creuisse, hinc postq̄ coaluerunt sedes mutantes Scythis, Asiaticis Europæisq; & uarijs gentibus bella intulisse, non tamen eam paucam manum adeo breui auctam, nisi uicinarū nationum & gentium cōmixtione qui illos hospicio susceperunt, ita pro temporum uarietate & sedes & nomina accepisse, Getas, Gotthos, Dacosq; appellatos esse, id tamen nō primis initijs factum constabit, sed regnis ubiq; crescentibus, a Latinis Græcisq; qui harum gentium uel inuiti arma senserunt, pro uoto nomina indita credendum, sed etiam hac ratione, sicut ceteros populos a regibus, ducibus, uel tropheis & deuictis populis appellatos credere quis poterit. Vndecumq; autem orta gens illa fuerit parum adferre refert, quū sub cœlo gens nulla sit quæ Gothorū gestis iustius gloriari queat, quā hi populi qui in Sarmatico solo cōstituti sunt, ubi Githones ad Venedicū sinū, Getæ & Daci ad meridionalem plagam, Gothi adusq; paludes Meotides, et in his locis quibus hodie Thartari insident habitasse memoriæ traduntur. Nunc uero quia omniū scriptorū litteris (quibus ulla fides est) testatur. Gothos in Sarmatiæ solo supra omnium Romanarum rerū scriptorum ætates consedisse, nihil ad me pertinere uidebitur, si quis huius gentis originem in ipsam archam & Euæ usq; uterū referet, quod & ego de meis maioribus adferre possum, qui ad Adam usq; homines & non lapides fuere. Satis ad meū erit institutum, Gothos Sarmatiæ Europææ fuisse populos, atq; ex his sedibus in omnes

Vrspergensis lapsus.

bus in omnes contra Romanum imperium expeditiones excurrisse. Quibus uero ab initio militauerint ducibus omitto, reperitur hoc apud scriptores rerum Gotthicarum, hinc ego sumpturus sum initium, quando iam cũ Romano imperio primum manus conseruere, licet etiam ante in externas nationes multa gessisse bella perhibeantur, serius etiam eorum ciuilia in Sarmatia cũ Roxolanis bella in Polonorum uetustatibus adducuntur, id hac ratione contigit quod priscorum facta scriptorum inopia sunt abolita. Gothi igitur Sarmatiæ populi in campis a tergo Russiæ multis etatibus consederũt Polowtzy barbaro uocabulo sunt appellati. Cuius ego uocabuli uim seu rationẽ (nisi camporum seu planiciei uenatores fuero interpretatus) penitus ignoro, ludere nõnullis uidebor, sed quom sint priscæ uetustatis scriptores, qui Gothos Getas, Dacos, Vandalosq;, unam dicant gentẽ, atq; semper Sarmatas appellatos, nonnisi nominibus inter se discretos, ceterum in omnibus conuenire. Satis cõstat quod idẽ Gothi nõ ex seipsis, sed mixti cũ his populis in omnes excursiones tãtam hominum multitudinẽ coegerũt, ceterum imperio seu fama apud eos manente, hoc infra de Vandalis quoq; dicendum ueniet. Qui Gothicas res scripserunt multos fuisse constat, inprimis Procopius Cæsariensis Græcus Gothica Vandalorũq; bella litteris mandauit. Erat enim ipse in Belisarij castris medicus dum illi cum his gentibus in Affrica prouincia bellū data est. Paulus Orosius, Guido deinde Rauennas, Blondus homo doctus, Leonhardus Aretinus, Abbas Vrspergẽsis, sed & ex ipsis Gothis oriundus Ablauius (quem ego fateor me non legisse) alij etiã multi ex moderníoribus Gothicas res longis sermonibus prosequuti, Marcus Antonius Sabellicus Liuinæ elegantiæ imitator. Volaterranus homo omni seculo dignus, Bergomensis, & Nauclerus homo in historia multæ fidei, apud quos facile lector desyderium suum explebit. Ego uero obiter nõnihil earum rerum quasi libare uolui, eo q; ad Sarmaticas res permaxime pertinere mihi uiderentur. Gothi itaq; Augusti principis temporibus res Romanas inuadere nõ dubitarũt, a Lucullo ex Mysia pulsi traduntur. Miserunt deinde ad Augustũ in Hispanijs agentem legatos pacem petitum, hanc facile obtinuerunt, eo quod eorum eruptiones reipu. magna incõmoda adferrent, paceq; data Istri limites transcendere sunt uetiti. Violatis deinde paulopost finibus Romanis bella intulerũt. Eam iniuriam Romani duo duces Oppius Sabinus & Cornelius fuscus ulciscendam missi, ambo unus post alium cum exercitu et legionibus ab illis cesi sunt. Hæc Suetonius in Domiciani uita paucis uerbis infert, dicẽs de Gothis Daci sq; post uaria prelia duplicem triumphum egit. De Sarmatis lauream modo Capitolino Ioui retulit. Hæc Sueto. Antonius Sabellicus uir multæ eloquentiæ altius hæc resumens quom Domiciani tempora percenset asserit, Sunt & Sarmatæ bello petiti ob legionem unam cum legato ab his subita defectione cesam, de his Capitolino Ioui laurea relata est. Hec Sabellicus commemorat, quasi diu antea Sarmatæ Romanis præssi armis, ab eorum fide cessa legione defecerint. Hanc lectionem si saluare oportrebit constabit omnino Gothos Sarmatiæ fuisse populos, quom interim non legatur aliud Sarmatis cũ Romanis belli fuisse negociũ. Sed Orosius homo eruditione & fide clarus

Gotti idem & Polowtzy.

Rerum Gotticarũ scriptores

Res Gottorũ & Sarmatarũ nonnullæ, Augusti tpa.

Domitiani.

huius rei li 7 ca 7 mẽtionẽ faciens hæc uerba de Domitiano adſcripſit. Bellũ aduerſus Germanos & Dacos geſſit pari reip. pernicie, quom & in urbe ipſe ſenatum populumq; laniaret, & foris male circumactum exercitum aſſidua hoſtes cede conficerent. Nam quanta fuerint Diurpanei Dacorum regis cum Fuſco duce prælia, quantæq; Romanorum clades longo textu euoluerem niſi Cornelius Tacitus qui hanc hiſtoriam diligentiſſime contexuit de reticendo interfectorũ numero & Saluſtium Criſpum & alios authores quãplurimos ſanxiſſe dixiſſet, & infra. Domitianus tamẽ prauiſſima elatus iactãtia ſub nomine ſuperatorum hoſtium de extinctis legionibus triumphauit. Hæc Oroſius, quibus apparet quantam Romano nomini gloriam expugnati Sarmatæ tribuerint, hæc circa humanæ ſalutis annum 82 contigere, Traiano deinde principe Romanis finibus pulſi, in ppriaſq; ſedes coacti tradũtur, Nonaginta ferme ãnis poſt Antonius Caracalla ad Parthos ducturus exercitũ, dum ſuſpitiõe hos parũ quietos cenſeret aliquot prelijs uiciſſe ſcribitur. Antonius item Verus Oroſio li. 7 ca 9. teſtante cum his gentibus bellũ geſſiſſe hiſce uerbis perhibetur. Nam cum inſurrexiſſent gentes immanitate barbaræ, multitudine innumerabiles hoc eſt Marcommani Quallij (ſecundũ alios Squadi) Vandali, Sarmatæ, Sueui, & omnis pene Germania, & in Quallorum uſq; fines progreſſus exercitus circumuentuſq; ab hoſtibus propter aquarum penuriam potius ſitis q̃ hoſtium periculum ſuſtineret. Ad inuocationem nominis Chriſti (quã ſubito magnæ fidei conſtantia quidẽ milites effuſi in preces palam fecerant) tanta uis pluuiæ effuſa eſt, ut Romanos quidem largiſſime ac ſine iniuria refecerit. Barbaros autem crebris fulminũ ictibus, perterritos, preſertim cum plurimi eorum occiderentur in fugam coegerit, quorum terga Romani uſq; ad internitionem cædentes glorioſiſſimam uictoriã, & omnibus pene antiquorum titulis præferendam, rudi paruoq; militũ numero, ſed potentiſſimo Chriſti auxilio reportarũt, hactenus Oroſius, atq; hic Sarmatæ & Germani nõnihil ſocietatis habuiſſe cognoſcuntur, dum nõ tam Romanis fugati armis quã diuina manu uicti traduntur, quod equidem mirari non opportet, diuinæ etenim Maieſtatis uis & imperiũ nulla unq̃ arte, induſtria uel potẽtia ab humana imbecillitate euitari potuit, quod enim ſemel a deo conſtitutũ eſt illud ut ineuitabile omni æuo implebitur. Gordiani poſthac temporibus Gothi bello petiti atq; leuibus prelijs repreſſi ſunt. Quies deinde ad Philippi tempora (qui primus Chriſtianorum Romæ rerum potitus perhibetur) Gothis fuit. Pleriq; ferociſſimarum gentium Gothorum ductu (nam non Gothi ſoli, ſed Daci & reliqui Sarmatarum populi in hanc aliaſq; eruptiones Gothis acceſſere) imperij finibus tranſcenſis & inuaſis trecentis armatorum milibus Thraciam Myſiamq; uarijs multiſq; cladibus afflixerũt. His a Philippo cum exercitu Decius obiectus, aliquot uictus prelijs, infecto bello reuerſus eſt. Philippo pauloposſt cum filio, Decij fraude extincto dolo ipſe imperator factus, eos motus reliquit intactos. Hæc ſub annis ab orbe redempto 253 contigere. Decio ſublato Gallus cum Voluſiano remp. tutandam ſuſcepit, fœdus eorum ætate cum Gothis renouatum & hinc ad Valerianam Perſicam captiuitatem in pace ceſſatum eſt. Dum itaq; Romana reſp. poſt eam

Traiani.
Antonij Caracallę.
Antonij Veri.
Legio Chriſtiana Ceraunobolos.
Gordiani.
Philippi.
Decij.
Galli & Voluſiani.
Valeriani. Galieni.

post eam infœlicem Valerianam captiuitatem Galieni desidia & ignauia a triginta Tyrannis inuasa multis incōmodis afficeretur, simul multarum ferocissimarum gentium animi in imperij fines inuehuntur. Germani penetratis alpibus Italiam Rauennam usq; uastarunt, Almani Gallias igne ferroq; uexarunt. Sarmatæ ruptis Pannoniæ finibus eam prouinciam populati sunt. Tum Gothi cum alijs ferocissimis Sarmatarum populis Asiam inuaserunt, classe Bithyniam uastauerūt, Nicomediā prope modum extinxerunt. Macedoniā quoq; armis tēptauerunt, pari calamitate Thracia affecta. Dū uero in Achaiam progrediuntur a Macharino prelio uicti feruntur. Alia harum gentium pars maxima quæ ut iam narratur Asiam inuaserāt, illud famosum ab Amazonibus conditum Dianæ templum direptum incēdunt, pulcherrimaq; prouincia uastata, ultra uim suam extensuri a Claudio pene ad internitionē cesi sunt, ccc enim millibus uel cæsis uel captis, duo millia nauium aut mersæ aut in potestatē redactæ sunt. Atq; hæc circa annum ab orbe redempto 270 sic se habuerunt. Aliquot deinde annis Gothi suo malo compulsi quieuerunt, donec resumptis uiribus Romanis bella intulerunt, ab Aureliano, Canabo rege amisso & quinq; milibus cæsis ultra Danubium repressi, ex hac pugna quædam bellicosæ fœminæ in triumpho actæ a uulgo falso Amazones creditæ sunt, & hec circa annum salutis 275. Tricesimo post hanc afflictionem anno, quom iterum Romanis finibus arma inferrent, a Flauio Constantino innumeros quoq; uictos litteris traditum est, atq; hæc circa annum salutis 309. Tum tot perculsi malis Romanum fœdus renouarunt. Annis ferme septuaginta inuiolata fide rempublicam reliquerunt intactam. Valentiniani uero temporibus Sarmatæ ruptis Romanis finibus in Pannoniā inuehuntur. Hanc iniuriā Valētinianus circa annū salutis tricentesimū septuage. septimū uindicaturus cū exercitu ad Brigionē oppidū ueniens subita sanguinis effusiōe relicta Sarmatis libera uastandi licentia mortuus est. Post quā uero Valens orientis imperium obtinuit, & Gratianus Romæ rerū potitus est. Ea ætate fato res omnes imperij inclinatæ, tūc ex Septemtrione clades multo maxima Italiæ imminebat. Hunni namq; gens Scythica antea inaccessis interclusa montibus Gothos subito adorta suis expulit sedibus. At quam ambiguis ambulat fortuna passibus. Res enim hinc humanas taxare liquet, nihil omni sæculo ullo fortunæ applausu tam alte euectū, uel etiam nouerca sorte humili loco depressum, quin hic meliora sperare, illic spe excidere res tempora fortunaq; ferāt. Quod equidem hinc apparet. Gothi pauloante supraquinq; ætates in hanc diē Romanis atq; alijs gentibus formidabiles, mutata paulisper fortuna ceu ludibrium expositi, proprijs sunt pulsi sedibus, suas iam tueri nō ualentes, qui alienas libidine bellorum sepius inuaserant. Pulsi itaq; his Sarmatis, qui nuper Pannoniam inuaserant iuncti, Istrum transiuere. Valens itaq; ad eos motus missus hos sine fœdere ad fluminis ripam etiam non ademptis armis magno imperij malo cōstituit, eosq; Arrianis dogmatibus, quibus ipse deceptus periclitabatur, per huius sectæ episcopos edocuit. Sed quom aliquamdiu Romanorū ducum auariciam & calamitatē suam simul & famem sustinuissent, increpati tandem Romanum præsidium adorti, simul cum ducibus Lupicino

& Maximo

Claudij.

Aureliani.

Constantini.

Valentiniani.

Valentis & Gratiani.

Hunnorū eruptio.

et Maximo interfecerũt, excussoq; metu Mysiam Thraciãq; armis subigunt, tributumq; imperant, & iam his fœlicissimis successibus Gothorum res auctæ atq; Romanis formidolosæ esse cœperũt. Tum de Gothico motu nuncij Valentem urgere cœperunt, & ipse magno exercitu Antiochiam relinquẽs in Thraciam tendit. Gothi uero ueniẽti occursum & pugnam nõ detrectãt. Prelio cũ eo ferociter cõgressi Romano equitatu fuso, legiõibus circũseptis, nudatasq; facili negotio soluerũt atq; fugarũt. Valens saucius uiuus in hostiũ manꝰ ueniẽs igni traditus ẽ, iusto dei iudicio, ut q alios a ueri luminis cognitione auertit, ipse igne ultro succẽsus erroris hostia offerretur, tetra fœdaq; fuga reliquus exercitus dispersus est. Gothi & hoc successu in spem maioris fortunæ arrecti Byzantium urbem obsidione cingunt, quæ salubri consilio defensa est. Hæc sub anno salutis humane 381 acciderunt Romanis mala. Valente a Gothis interfecto Gratianus imperator cũ Valentiniano fratre rem Romanam tutandam suscepit, fecit quoq; Gratianus Theodosium ex Hispanijs accersitum imperij socium, orientisq; illi negocia comisit. Is in Gothos profectus aliquibus eos prelijs afflixit. Ad hunc Atalaricus Gothorum rex (icto prius necessario magis q̃ Romanis optato federe) Byzantiũ accessit. A quo benigne acceptus Athalaricus, post quã magnificentissimum urbis splendorem miratus, morbum incidit, paulopost uita excessit. Quem Theodosius honorificentissimo apparatu in exequijs extulit. Gothi Theodosij uirtutem mirati simul ac rege priuati in Romanam fidem accesserunt, stipendia Theodosio facientes, hos pleræq; ferocissimæ atq; Romanæ alioqui fortunæ infestæ nationes sequuti, Byzantium ad Theodosium legatos, aut pacem petitũ, aut fœdera innouatum miserũt. Atq; hac fœderis lege sub stipendio Gothi annis ferme uiginti & quinq; non modo res Romanas non turbarunt, sed & eorum auxilijs ampliarũt. Donec Stiliconis perfidia (enecatis prius a Gildone Theodosij filijs) iniquo consilio respublica turbata est, atq; Gothi apud Byzantiũ stipẽdio & comeatu priuati. Anno 407 salutis humanæ Honorij & Archadij octauo, Gothi noua re moti Thraciam penetrantes Pannoniã inuadunt. Alaricum uirum fortem regem cõstituũt, cui paulo post Radagasus cum cc milibus partim Gothorum reliquijs, ad Danubij ripas relictis, iunctis simul Dacis atq; Sarmatis adiunctus est. Hij mox Thracia, Pannonia, Illyricoq; & ea Italiæ parte contermina uastatis igne, ferro, & teterrima cæde omnia, neq; sexus, neq; ætatis habentes rationem, diripiũt. Ingens deinde multitudo comeatus inopia pressa bipertito exercitus ductu scissa est. Radagusus Apœninũ transiens paulo post Vldino & Saru ducibus, qui Hunnorum Gothorumq; ingenti ui adiuti, qui forte cum Theodosio in Gallia militarant, in angustias deiectus, interceptis undiq; comeatibus fame confectus post res amissas paucis comitantibus fugam init, & in ipsa cesus est. Alaricus apud Rauennam, multo postquã Radagasus interfectus, & ipse a Stilicone cõsilio magis quam uiribus prælio uictus est. Verum Stilico partam pene uictoriam, alio uertit, ex usu ratus si Barbaris manentibus ipse ultro imperij maiestatem sibi uendicare posset. Alaricus hæc sentiens. Honorio per legatos nunciat, atq; eã Galliæ partem postulauit, cui Vandali, Sueui, Alaniq; iamdudum imminerent.

Valentis interitus.

Gratiani & Valentiniani fratrũ tempora.

Atalaricus.

Honorij & Archadij res cum Gothis gestę.

Alaricus.

Rhadagasus uictus.

Alarici cędes.

Stiliconis rebellio.

Honorius annuit

Honorius annuit, atq; Stiliconi ut Gothos pacificos in Galliam dimittat imperauit, dum autem ille pareret fœdusq; iniecisset nihilominus in abeuntes Saulem Hebræorũ ducem cum ualida iudæorum manu immisit, qui oportunitatem nactus primo motu fœdam stragem in Gothos fecit. Verum dies illa Christianis (quibus Gothi nuper ex fide accesserant, atq; feruẽtissimi eius religionis cultores erant) sacra erat, quare Gothi metu religionis perculsi aliquamdiu iudeorum ferrum sustinuerunt, donec regis iussu arma rapta, atq; impetu facto Hebræi disiecti, cæsi & fugati sunt. Sed & paulopost Honorio imperante Stilico cũ Eucherio filio cæditur. Quo fortissimo duce sublato Italiam populati. Romam urbem, orbis caput obsidione cingunt, eam aliquamdiu fame ferroq; uexarunt, donec utrumq; malum extremã calamitatem adigeret, armisq; atq; inedia cõfecta Roma domina gentium, a qua omnia olim capta, a Gothis ipsa capitur Anno humanæ salutis 412 ab urbe uero per Romulum condita 1164 A sacrorum direptione Halarici regis iussu temperatũ, in reliquam urbem triduo seuitũ est. Gothi triduo quom urbe potiti sunt inde in Campaniam, Lucaniam Brutiosq; digressi eas regiones populati sunt. Halaricoq; rege mortuo Ataulphum substituerunt, sub cuius imperio paulopost Barbari regressi urbem denuo misere etiam rege eorum inuito diripuere, tamen ab incendio cessatum est. Placida Honorij sorore (quam Ataulphus post urbem direptam matrimonio sibi iunxerat) id efficiente, atq; ita de Gothorũ in Italiam eruptione & Romanæ urbis direptione se res habuere. Hactenus de Gothorum origine externarumq; gentium inuasione scribere placuit, eo quod ad Sarmaticas res maxime pertineant quæ apud exteras nationes proles atq; semen eorum fecerint, quando uero hucusq; uentum est, quod Roma orbis caput Gothorum metu fame uel ferro adacta, ut barbarorum ferret iugum significatum sit, atq; hi demum relicta urbe alias quoq; nationes populati sunt, longa deniq; ætate parentibus aut cæsis, aut naturæ lege sublatis, proles iam nihil nisi Gothicũ nomen seruauerit, ceterum in Italicos Hispanicos uel Aphricanos mores abierit, non uidetur ex usu fore eorum ultro gesta retexere, quom hæc apud eos quos supra memini, qui Gothicas res posteris reliquere fusius tradita legantur. Satis mihi hic uisum est. Eam gloriam si quã Gothi belli iure adepti. Sed & illud malum quod uastata Italia atq; urbe direpta Gothi intulere Sarmatis quoq; & Dacis deberi, eamq; posteris relictã esse audaciam ut ab omni tyrannide antiquitatis suæ maiestatem & libertatẽ uindicet. Præterea quæ a Gothis uel in Italia uel Aphirca gesta sunt, id a plerisq; fusius traditur, Procopius quarto libro historiæ hæc breuiter absoluit, alij alios sequuti multa scripsere, mihi hic metam ponere atq; alio stilum uertere placuit.

Vrbs Ro. capta.

Ataulphus.

Placida.

DVM Hæc Romanis mala a Gothis contigerunt, eodem ferme tempore Gallia a Vandalis gente feroci armis petita, de qua hic non nihil referre operæprecium erit, eo quod & gens illa ex Sarmatiæ finibus egressa in externis regnis multa egregia edidit facinora. Vandali igitur prisci Vandili & Vindili dicti gens ferox & ipsa Sarmatica, maioribus Sarmatis ab ipso flumine (qui Vandæ reginæ mersione sacratus ex nomine suscepti hospitis Vandalus dictus perhibetur)

De Vandalis quędam.

Vandali unde.

dictus perhibetur) Vandali appellati. Horum partes sunt Burgiones postea
Burgundiones Burgundiones, qui Germani quibusdam sunt scriptoribus, forte non omnino
improbato argumento. Nam & ille fluuius Germaniæ atq; Sarmatiæ fines
nũc constituens, olim unius populi in utraq; ripa imperio paruit ut nuper ad-
scripsi. Sed & hodie ab eius quasi fonte ad usq; hostia quibus in mare Balthe-
um exoneratur, ex utraq; ripa polonorum subest imperio, ita olim Vandalus
dictus in utraq; ripa a Vandalis habitatus est, atq; hinc in Sarmatia & Ger-
mania Vandali (sicuti nũc Poloni) fuere. Hĳ quoq; Sueuis Alanisq; comitati
bus Gallias inuasere, a Stilicone sollicitati paucis antea annis q̃ urbs a Go-
this esset capta. Qui uero Vandali fuerint iam secundum plerosq; supra nar-
Alani qui. ratur, aliorum tamen sententiam infra descripturus sum. De Alanis nunc ser-
mo erit, hi plerisq; Scythæ dicuntur Plinio uero li. 4. ca. 12. inter Sarmaticas
gentes connumerantur. Sunt qui origine Scythas perhibeant, sed cum Van-
dalis cohabitasse asserant, undecumq; autem fuerint, constat cũ Gothis olim
atq; Vandalis commilitium fecisse, & ipsos Gothos Vandalosq; Sarmatiæ
Gothialani. populos uti supra narratur extitisse. Quare uero inde Gothialani perhibe-
rentur, si non uno solo geniti essent non clare habeo, scio esse quibus in ex-
ternis nationibus illis hoc nomen inditum fuisse uidetur. Ego huius rei quo-
Er. Stellę opinio. modo Gothialanos constitutos putauerim nuper rationẽ dedi. Erasmus Stel
la homo doctus in Borussiæ antiquitatibus eius rei cæteros secutus meminit,
Verum neq; eã refellere, neq; aliam astruere opinionem est in animo. Sed &
hoc non erit a fide alienum, si quis Alaunos situmq; eorũ diligẽtius perquiret
comperiet Getis seu Dacis & Roxolanis proximos fuisse, & si pro eo fides
Germanię pp̃li est cum Getis qui Gothi seu Daci creduntur, & Sarmatis unam fuisse gen-
tem, nam si Sarmatiæ Ptolemaica descriptio locum habet, cõstat omnes hos
populos in Sarmatia consedisse, neq; tunc aliter fuisse discretos quam hodie
Australes, Baioarĳ, Athesieñ, Heluecĳ, Alsacĳ, Rineñ, Sueui, Franci, Saxo-
nes & reliq maximi populi, q uno uocabulo Germani, Teuthones, seu Alma-
ni uocantur, & cum uniformi lingua commertium habeant, scissi uidetur, qui
etsi in plures regulos & principes potentissimos diuisi, ad unius tamen impe
rium dominandi maiestatem referunt, ita ea quoq; ætate fuisse non ab re cre
dere erit. Sicq; & nationum cõmixtione Getas Dacos Gothos Vissigothos
Ostrogothos Gothialaunosq; constitutos, qui simul iunctis uiribus nihilomi-
nus Sarmatiæ populi existentes, tot hominum millia constituere, ut ĳs freti
potentĳs, relictis sedibus externas petierint gentes. hinc credendum foret,
postq̃ sub Gothorum imperio hæ gentes quæ Ponto & Tanaitis proximio-
res fuere in Thraciam Macedoniamq; migrarunt, eorum fœlicibus successi-
bus Alaunos Vandalosq; qui ad Germaniæ partem primi fuere, in spem ma
ioris fortunæ arrectos patrio solo relicto Germaniam petĳsse, ut infra mihi
dicendum ueniet. Sunt qui referant Constantini magni temporibus a Gothis
Vandalos manu ualida petitos, & rege Gebrichio Vandalos cũ Vissimaro
duce sedibus pulsis ab ipso Constantino in Pannoniam seruato prisco nomi-
ne locatos esse, ibi lustris plus octo in Romanorum fide mansisse. Verũ & ibi
metu Gothorũ parum sibi tutum rati piraticam apud Oceanũ annis aliquot
egisse uitam,

egisse uitam, hinc quoq; priscis sedibus patrijs repetitis, donec ad Stiliconis dominia fuerint euocati litteris tradunt. Burgundiones uero qui horum pars perhibētur ad fontē quasi Vistulæ amnis, qui & Vandalus dictus, Ptolemæo Burgiones dicūtur, mutata postea dictione Burgundiones sunt appellati. Procopius uero græcus libro tertio historiarum ita refert. Vandali interea circa Mæotin considentes ubi fame pressi sunt, in Germanos qui nunc Franci dicuntur, simulq; Renum fluuium traiecerunt, in societatem Alanos, Gothicū & ipsum/genus adsciscentes, inde postea duce Gogidisco in Hispaniam penetrauere. Hactenus Procopius. Cui fides est narranti, qui & ipse in Vandilico bello cū Bellisario fuit, statim cognoscitur, & Vandilos & Gothos & Dacos unam fuisse Sarmatiæ gentem. Quod & ipse paulo superius eodem libro his uerbis testatur, Gothicæ gentes quidem multæ et aliæ prius fuere q̃ nūc, omniū aūt maximæ ac potissimæ Gothi & Vandali & Vissigothi & Gepedes iamdudum & Sarmatæ & Melanchlæni appellati. Sunt et qui Gothicas gentes has uocent, qui omnes nominibus quidem inter se differūt ceteris conueniunt, & paulo infra, Et ut mihi sane uidetur ex una omnes gente procreati, nomina postea ab eorū ducibus uaria sortiti, de his legatur Procopius qui omnia fusius scripsit. Iam satis superius probatū mihi uidetur, Vandalos, Alanos siue Alaunos Burgionesq; Sarmatiæ fuisse populos. Superest ut ea/quæ patrias sedes egressi/ætate qua adhuc Vandili crediti sunt bello gessere/paucis adscribam, Vandali itaq; Burgundij simul cum Alanis a Stilicone euocati sub Modigillo patre & Gandarico ducibus annis ferme duodecim ante captam a Gothis urbem quadringentis uel secundum aliquos trecentis hominum millibus domo egressi, per Germaniam euntes primum in Sueuorū gratiam Francos, Germaniæ gentem (qui septimo Archadij & Honorij anno relictis sedibus Renum transgressi in Treueris Leucis atq; hisce cōfinibus consederant) ex Gallia pulsos/in partem unde digressi fuerant/redire coegerūt, ipsisq; sic Gallia populanda relicta est. Burgiones uero seu Burgundij locorū amænitate pellecti simul & figendæ sedis cupidi Heduorum/Lingonum/Vesunciorum & Cabiloneñ terras sibi uendicarunt. Ea prouincia nouorum colonorū cultu ex post Burgundia uocata est, reliqui deinde multis exanclatis laboribus Pyrenæos penetrātes Hispaniam transiuere, Bethicam, quæ Vandalia postea dicta fuit, occupauerunt, Hispali capta Gandaricus quom templū uiolare statuisset subita morte interijt. Huic Gensericus successit, qui Honorio iubēte Hispania per Gothos expellendus erat, quod dū Gothi facere maturarent, Vandili interim a Bonifacio principe in Aphricā euocati, nacti occasionē Aphricā & Cartaginem subiugarūt, uictoq; Bonifacio & Aspare ante omnia Hipponem obsidēt, in ea obsidione diuus Augustinus septimo mense ad superos relatus est. Gensericus domita Aphrica, in Etruria multa bella intulit, tandem Romam ueniens ab Eudoxia uocatus, Maximi tyrannidē repressit, eo lapidibus obtruncato. Eudoxiam & filiam Eudociam cum Placida secū in Aphricam aduehens, sibipsi matrem, filiam uero Honoricho, seu Honorifico, natu maiori, Placidam Olibio matrimonio iūxit, hic a Procopio Gizericus appellatur, imperauit ānis 48. Moriēs Honorichū (ut Procopius ha/

Burgundiones

Vandali Gothi & Daci sūt Sarmatę.

Res gestę Vandalorum

Burgundiorū origo.

Gandarici interitus.

Gensericus.

Honorichus.

bet) alij Honorificũ scribũt, successorem reliquit, hic sæuissimus & Christianæ fidei scelestissimus persequutor, postq̃ annis octo Vandalis præfuit morbo misere extinctus est. Eiq; Guntabundus successit, Genserici ex Gonzane nepos, præfuit annis 26. Moriens Ildericum ex Eudocia et Honoricho natum hæredem reliquit, iureiurandoq; obstrictum adegit ne unq̃ Christianis foret amicus. Mortuo uero Guntabundo Ilderichus periurus sed p̃ijssimo facinore omnes in exilium Christianos relegatos reuocauit. Hæc Volaterranus ex maiorum traditione asseruit. Sunt qui Guntabundo Trasamundum successisse aiunt, atq; eundem fuisse Guntabundi filium, qui tanta rabie orthodoxos & Christi cultum persequutus fuerit. Ilderichum ut supra scriptum est eo iuramento adegit. Verum Procopius li. tertio de bello Vandalico tradit Guntabundo imperij sui anno xij mortuo, Trasamundum fratrem successisse hisce uerbis hec adscripsit. Honoricho extincto Guntabuudus Genzonis fratris filius successit, qui propior genere Gizerichum attingebat, cum aphris pluri mis decertauit prelijs, Christianos mutatione suorum supplicijs etiam maioribus afflixit. Excessit morbo anno regni xij post quem frater Trasamundus rem suscepit, uir indole sapientiæ maxima tũ animi magnitudine omnis maiores antecedens, Christianos non pœnis corporis aut supplicijs ueluti illi sed præmijs ac honoribus omnibus ad deserendam fidem inuitauit. Hæc Procopius. Cuius traditio magis placet, uel ex eo, quod beatus Fulgẽtius nonnulla nostræ fidei mysteria ad Trasamundum ipso postulãte religiosissime pariter ac doctissime excussit, hic igitur nõ satis constat quare D. Volaterranus Trasamundũ regem preterierit, quom tamen & ipse forte Procopium latinitate donarit, & suam ex eodem ut ego habeat assertionem. Trasamundus 27 annorum rex multa ab Aphris incommoda passus decessit. Cui Ilderichus Honorichi filius successit, uir suis & Christianis æque mitis, homo ad arma bellaq; minus idoneus. Quem Gilmirus primũ custodiæ uinculisq; tradidit. deinde ipse imperij habenas suscepit, regnauit annis quinq;. Cũ quo & Vandalorum imperium & regnum in Aphrica finitum est. Hæc apud Procopiũ duobus absoluũtur libris. Hic etiam rerum Vandalicarum ego fines ponam quando iam Sarmatæ esse desierunt. At si quis & Gothorum, Vandilorum, Burgundionũ Alanorumq; egregia facinora & uarios successus, item eorũ in Thracia/ Macedonia/ Græcia/ Aphrica/ Hispania/ Sardinia/ Sicilia/ Italia/ Galliaq; militiam imperium & regnum scire desyderat, quotq; uicibus urbẽ Romam orbis terrarum principem & caput cœperint incenderint atq; uastarint, legat eos quos supra ad testimonia euocaui, ante omnes Vrspergeñ abbatem, qui historiam suam a Nino Assyriorum rege ad Fridericum secundũ, suaq; ætate imperij maiestatem gerentem conscripsit, legat Marcum Antonium Sabellicum Liuianæ eloquentiæ sectatorem diligentem, & Nauclerũ Germanum singularis in historia fidei hominem, comperiet profecto temporum supputatione nullam unq̃ gentem in tam paucis annis tam egregia audaciaq; aggressam facinora, si ita deo uisum fuisset ut hæ gentes aliquanto in Christianos mitiores apparuissent, potuissent profecto eorum apud posteros res gestæ dignis semper præconijs adornari, iuuat tamen & hoc egregiam

gentis attollere

Guntabundus

Ildericus.

Trasamundus.

Gilmirus.

Vrspergensis.

M. Antonius Sabellicus.

Nauclerus.

gentis attollere laudem, quod semel recepta fide ferventissimi fuerint cultores. Quod reliquũ in Italia bellum fuit non pro fide, sed pro imperio gestum est, atq; hoc modo Gothorum aliarumq; gentium nomen in Italia finem habuit, non tam extinctis Gothis in Italia aut Vandilis in Aphrica quam locorum amœnitate captis, & successu temporum in Italos Aphrosq; mutatis, & ita deus Italiæ oram & urbem ipsam, quæ omnibus manus quondam iniecerat, omnibus ultro diripiendam exposuit. Nec certo constabit quare Gothorum etiam extincto nomine maxime de antiquitate illis nobiscũ certare placeat, quom si quis origines maiorum suorum paulo altius repetat, esse possit ut magis Gothico aut Vandilico quam in ipsa Italia Italico sanguine se procreatum intelligat, atq; ita se Sarmatis affinem potius quam alienum genere declarabit. Hæc hactenus mihi adferre ex usu uisum est. Iamq; unde digressus sum meus repedabit stilus.

PIASTVS REGNI habenis susceptis, omni ætate pacem coluit, decimo apud Polonos loco regnauit, Mortuus ætatis suæ anno. 120. 120

SEMOVITVM unicum filium heredem reliquit. Ab eo itaq; tota ferme stirps regia Polonorum principumq; Silesiæ atq; Masouiæ propagata cõstabit. SEmouitus mortuo patre rebus præficitur, undecimo loco regnauit. Is dũ sub patris imperio strennue militaret inter optimos milites numeratus est. Adsecutus uero regnũ armis & uirtute, domi forisq; præfuit, immatura morte non sine mœrore suorum præuentus est. Sub huius imperio, de Cyrillo & Methodio Slauorum Apostolis nonnihil traditur, idq; sub Arnolpho Romanorum imperatore. quom uero Arnolphus anno salutis. 894. Romanis rebus præfuerit, non uideo quo pacto id eueniat, quod a Gracco iterũ ad Semouitũ in decimo loco regnantem anni. 12 94. tam cito currant. Ego uero scriptorum penuriæ id adscribere quã aliquid diffinire malui. Carolus etiã magnus primus ex Germanis, Anno salutis 801. imperator Augustus factus, qui 93. quasi annis ante Arnolphum res Romanas tutandas suscepit, uaria bella cũ Vindis Slauisq; gessisse phibetur. Verum Sarmatas populos aggressum/ nõ crediderim, sed ea dũtaxat loca quæ circa Lubecum atq; Rostockium sunt/ debellasse, eousq; enim quondam Polonorum Vandalorumq; regnum fuisse cõstat. quare & si hæ regiões armis Teuthonicis cesserint, nihilominus in hanc ætatem per omnem illam oram reliquiæ Vandalorum atq; Polonorum qui hodie Vindi appellantur extant, Polonorum lingua, sed corrupta utentes. Carolus uero Sarmatas non penetrauit, sed huius forte Slauonici, seu potius Vandalici belli occasionem Saxonibus deuictis Carolo sumptã crediderim, quibus quom Vandali tũc uicini fuerint aliquod forte belli negotium inde cõtractum est, Sed hæc ad ætatẽ Poloniæ principum nõ poterint conferri, quãdo certo/ quibus temporibus semper eius ætatis Polonorum principes imperia susceperint/ uel humanis excesserint/ nescitur.

Cyrillus & Methodius. 894 1294

Carolo magno qđ rei cũ Sarmatis fuerit. 801

SEMOVITO successit filius Lesko ætate puer, adultus uero nihil egregiũ edidit, intermisit paterna bella, quæ ad Baltheum mare Semouitus ceperat, mortuus ætate grandæuus regnauit duodecimo loco apud Polonos. Lesko.

HVIC SEMOMISLAVS filius successit qui tertio decimo loco regnauit, Semomislaus.

annis Piasti confectus & ipse mortuus unicum filium Mieskonem reliquit.

Miesko.

ASSVMPTVS igitur ad regni solium Miesko regnauit quartodecimo loco apud Polonos, Anno ab orbe redempto 963. Is cæcus natus atq; diuinitus fuisse illuminatus fertur. Primam ætatem uirtutibus adornauit, mox factus adultior, per licentiam in uicia ruit. Quibus paulopost relictis Christianam fidem Mietzslai nomen simul & coniugem Dambrowkam Bohemam suscepit, quam semel cum omni gente assumptam perpetue magno Christianæ reip. commodo protegebat. Gnezneñ, Graccouieñ, Wladislauieñ, Wratislauieñ, Posnanieñ, Plocensem, Culmensem, Caminicēsem & Lubucensem, ecclesias Episcopalibus honoribus insigniuit, reliqua uero quæ Christianus gessit apud D Miechouieñ libro secundo, capite primo traduntur. Atq; hic diuinæ maiestatis præsciētiæ & ordinationis uim, uel ineuitabile fatum mirari non oportet, quod enim semel constitutum fuerit, nulla unq̄ humana poterit euitari arte, ita & Mietzlaus sine luminibus natus, mox diuinitus illustratus, paulopost uicijs uitā prostituens atq; denuo reuocatus, sacri laticis aspersione lotus, cum regno fidem uerum lumen adeptus, reliquam ætatem ita gessit, ut cum deo beatis sedibus regnum habere merito credatur. Hæc Polonis sub Othone imperatore secundo contigere. Anno Christi quo supra memini ferme 962. Quibus uero Sarmatiæ & Polonorum regna ante Christianæ fidei professionem fuerint erroribus irretiti, cæterarum gentium cultu cognoscitur, habeturq; apud D Miechouieñ libro secundo capite secundo.

Rerū Mieczlai varietas.

MIECZLAO primo Christianorum apud Polonos principe humanis absumpto, rebus Boleslaus Chabri quod magnus aut famosus interpretatur. Ex Dambrowka Bohema natus in paternum auitumq; regnum assumptus. Princeps heroicis uirtutibus clarus, nulli unq̄ imperatorum militari disciplina secundus. Is dum lege successionis regnum suscepisset, Ab Othone tertio Gneznæ regiam accepit coronam. Poloniæ dominia (quæ iam antea regnū iure quidem gentium erant.) Christiano se conformans ritu legittimum atq; Catholicum effecit regnum. Primus omnium inuicta arma omnibus uicinis populis intulit, uarios triumphos egit, & uictricia signa regno reduxit. Bohemos sæpe domitos subiugauit. Morauiam expugnauit, uniuersam Sarmatiā ob regulorum pluralitatem ciuilibus dissidijs implicatam ferro ad pacem restituit, Russiam totam Sarmatiæ prouinciam subegit, ducibus aut captis, aut inito fœdere susceptis in fidem. Saxonibus atq; Marchiæ plura bella intulit. Prutenos barbaros uicit & Polonis subiecit, Hungaros Russiam ingressos aliquot prælijs eiecit. Columnas ferreas in quattuor mundi partibus uictoriæ suæ signa & Polonici regni fines posuit. Hinc forte in eum locum Cæsaris & Alexandri aræ positæ apud Boristhenem creduntur, ubi Boleslaus magnus uictoriarum suarum posuit monumenta, sed non sum nescius Alexandri atq; Cæsaris aras a Ptolemæo priscisq; scriptoribus Boleslaū multis ætatibus antecædentibus adscriptas, id parū ad me pertinere uidetur, neq; enim Alexander magnus neq; Cæsar in his locis ubi eorum ponuntur aræ unq̄ fuere. Boleslaus ætatis 58. Salutis 1005, regni 25 anno, humanis excessit, regnauit apud Polonos primo Christianorum regum loco, in ordine uero regum ab initio quintusdecimus

Boleslaus chabri.

Coronę collatio.

Columnę Boleslai.

quintus decimus Poznaniæ conditus.

HVIC Mietzlaus secundus filius successit per electionem. Sub huius regimine plures prouinciæ paternis armis Polonis submissæ defecerũt. Eius quoq; ætate Marchionatus Brandeburgeñ initia sumpsisse aliquibus perhibetur, ego quid sentiam non satis scio, quom iam antea Germani imperium uirtutibus meruerint, atq; Romanorũ regis eligendi potestas penes septem dumtaxat principes remãserit. Qui ab omnibus scriptoribus ita numerantur. Maguntinẽsis archipræsul Cancellarij seu ut Sabellico placet scribe Germaniæ nomen sortitus, Decanus principum electorum. Agrippinensis eam dignitatem per Italiam nactus, Treuerensis eo honore apud Galliam insignitus. Extra uero sacra principes quattuor, Reni inclytus Palatinus Dapiferi seu ut Sabellicus uult scutiferi munus obit. Saxoniæ dux ensem defert, hunc Mariscalcum appellant. Brandeburgeñ Marchio Quæstoris officium ut Sabellico & Blondo uisum agit, Camerarium hunc uocant. & Bohemiæ rex pincernæ munus agit. Hæc tum secundũ aliquos 1002 firmata sunt. Quamq̃ non desint qui magnis argumentis ante illa tempora hæc facta esse contendant, utcumq; tamen res se habent, uidetur Marchionatus ille tunc initia nõ sumpsisse uel hoc unico argumẽto, quod nõ tam cito nouus princeps ad summas imperij dignitates fuisset euectus. Iam boni lectoris iudicium esto. Mietzlaus anno salutis 1034 die 15 Martij, regni nono uita excessit, Kazimirum filium unicum reliquit. Atq; hic non apparet quem Nauclerus generatione 35 secundi operis sequutus dum hæc uerba inferret. In principio regni Conradi dux Poloniæ Boleslaus, Cuius regnũ Heinricus imperator Romanorum tributarium fecit, absq; Conradi requisitione nomen sibi regium imposuit, erat sane uir strennuus & potens. Morte autem præuẽtus Misikonem reliquit, qui mox defuncto patre, fratrem suum rebellioni acquiescere nolentem, a patria expulit, qui ad Conradum regem confugit, iratus Conradus præmisso Othone cum magno Teuthonicorum exercitu, statim ipse maximo robore militũ secutus est, ac omnia intra Poloniam armis miscebat. Misiko uidens se nulla ratione posse resistere, relicta Polonia ad Vdalricum ducem Bohemiæ hostem imperij confugit. Vdalricus uero sperans se imperatoris gratiã quã amiserat recuperaturũ, Polonorum ducem, quẽ exulem & supplicem susceperat, tradere Conrado statuit, atq; hoc illi per secretũ nunctium intimauit, sed imperator uir magnanimus illius detestatus perfidiam oblationem proditoriã contẽpsit, & Misikonem alibi salutẽ quærere admonuit, qui imperatoris miratus bonitatem, clam relicta Bohemia ad propria remeauit, atq; reiectis regni insignibus quæ pater assumpserat, modico comitatu cõtentus ad imperatorem Conradum ultro accessit, atq; eius uoluntati se subiciens coronam humiliter imperatori resignauit, ac ab eo tempore Polonia Romano imperio prius ab Henrico tributaria facta permansit. Hactenus Nauclerus. Cuius assertio (optimi hominis uenia dixerim) ut apud nullos (quos equidẽ uiderim) inuenitur scriptores, ita a ueritate comperitur aliena. Annales Polonorũ qui in aduersis & secundis rebus (& si rudes) uere tamẽ conscripti apparent. Nã etsi Vincentium in speculo historiali sequutus fuerit atq; alios omnes qui pau

Mietzlaus II.

Marchionatus Brandeburgeñ

Principes electores.

Electoratus

Quorundã uariæ opiniones.

Naucleri opinio.

cis hoc uerbis adscribunt, comperiet Henricum secundum reges gentilium in interiora Germania comorantes qui dicebantur Vindi tributarios fecisse. Deinde de Conrado secũdo est legere, qui ãno qnto regni sui rebellantes Slauos perdomuit. Hinc de Henrico tertio infertur, quod Vindelicos populos Sueuis conterminos subegit, qui in eam ætatem fortunam adorasse tradũtur. Hæc apud Vincentium. Quibus apparet Vandilos ad sinum Balthei maris commorantes uictos esse, cum quibus Carolo magno ante aliquot lustra belli negocium erat. Verum de Sueuis nostro æuo hoc non erit intelligendũ, qui tunc non fortunam, sed unum deum adorauerũt. Polonia uero Sarmatiæ prouincia a nullo unq̃ Conrado uel Henrico uicta, uel tributaria facta est. Boleslaus item omni sæculo dignus princeps non ambitione aut temere coronam assumpsit, sed ab Othone Gneznæ ut pauloante mihi narratur, nõ sine regni summa laude regijs decoratus est insignibus, nec ipse unq̃ tributarius factus, qui suo imperio tot populos adiecerat. Moriẽs reliquit Mieskonẽ, seu Mietzlaum aut Misiconem ut Nauclero traditur, unicum filium sub quo nihil egregie factũ legitur. Bohemia illi erepta non ab Vdalrico sed Brzetislao Vdalrici filio, ut D Miechouieñ li. secũdo ca. 11. tradit. Esto qđ Vdalricus fuerit, num is imperij hostis erat, qui ab Aenea apud Cæsarem enutriendus a patre datus fuisse perhibetur? qui imperij hostis et amicus esse nõ potuit, qui etiam locũ inter principes electores ex pacto obtineret, Aeneæ quoq; traditio eius rei nullam facit mentionem, sed cum Miesko bellorum aliam sumunt occasionem, quæ nonnihil cum annalibus Polonorũ concordat, licet Bohemiæ ducis excæcatio sub Boleslao & non Mietzlao facta legatur. Boleslaus itaq; armis & uirtutibus clarus imperatoria auctoritate regiam coronam acceptauit, quã omnes maiores sui iure gentium accipere potuerũt, si modo quis meminerit eam Sarmatis fuisse antiquitus legem, quæ Aegyptijs, Macedonibus seu Persis, Medis, aut Græcis, alijsq; gentibus fuit, qui reges salutati, quibusq; omne imperij nomen suscipere licuit, quod consilijs atq; armis defendere possint. Sed uana est hæc uerbosa disputatio, Boleslaus dũ regiã ab Othone coronã susciperet, non modo tributarius non factus, sed & ab imperij obedientia absolutus legitur, neq; regiũ diadema a Misicone filio abiectũ, sed in illud tẽpus, quo diuus Stanislaus martyrij palmã (ab iniquo rege sectus) meruit, magna regni laude custoditum est. De fratre uero ducum Poloniæ in cuius gratiam Conradus 2 cum Polonis bellũ suscepit infra scribendum ueniet.

AD MIETZLAVM redeo qui secundo loco Christianorum regum ab initio uero sextusdecimus regnauit, qui mortuus ut supra narratur, Kasimirum unicum filium ætate puerũ reliquit. Hunc mater in Almaniam secũ abduxit. Hic sane postea Parhisijs in liberalibus studijs edoctus, postea in Cluniaco monachus factus est. Polonia interim a diuersis natiõibus armis petita, simul & domesticis odijs atq; belli cladibus multis affecta fuit. Donec senatui uisum est Kasimirum rebus præficere, missis in Cluniacum, & ad Romanum pontificem legatis. Kasimirus reductus in paternum regnum assumptus & coronatus est. Regni res per eum restitutæ. Pruteniq; bello uicti sunt. mortuus salutis anno 1058. die 28 Nouembris regni 18 Poznaniæ patri appositus, re-

Casimirus Mietzlai filius.

gnauit tertio

gnauit tercio loco rex Christianus, ab initio uero decimus & septimus.

RELIQVIT MORIENS tres filios, quorum Boleslaus natu maior postea regnum adeptus, audax & efferus dictus. Is dum regnum adeptus esset armis protaui uirtutes æquauit. Boemiam Morauiamq; uastauit. Prutenos domuit. Belam Hungariæ regem restituit. Roxolanis plurima bella rebellãtibus intulit, tãdem regio nomine in Tyrannum uerso, monitus a diuo STANISlao, effero animo in præsulem concitatus, in Diui Michaelis sacello, quod illi Kasimiriæ in rupe hodie sacrum est, proprijs manibus euectus, gladio cæsum, ad superos interq; diuos annumerandum transmisit. Gregorius septimus, facinore ad se perlato, Regem exautorauit, regnũ ab illius obedientia absoluit, anathema imposuit. Poloniam ille exiens, in Hungariam uenit, paulopost ratione adempta, in syluis a canibus misere laceratus fertur perijsse. Traditur tamen ab aliquibus in eo Cœnobio quod ad lacum inter Feltkirchen & Villacum Karinthiæ oppidum situm est pœnituisse, inq; eo sacello quod in saxo ad laci hostia eminet tumulatum esse. Pari affirmatione extra oppidum Oenipontem alias Inspruck in Monasterio Viltha degisse traditur, sed in his locis huius rei forte nulla apparent indicia, quomodocũq; miser perijt, constat iusta ultione regno pulsum esse. Regnauit quarto loco christianus rex, facinora a nullo unq̃ ethnico Sarmatarũ principe commissa in se admisit, ab initio uero decimusoctauus annumeratur, regno exutus Anno salutis 1079. Boleslaus. Diui Stanislai martyrium.

HINC IAM POLOniæ sceptra Pontificio interdicto cessarũt, atq; regnũ in Monarchiam abijt. Cui senatus assensu. Wladislaus cognomẽto Hermannus Boleslai germanus præficitur. Is uirtutibus multis regno præfuit, fratrem haud secutus. Remp. domi consilio, foris armis uictricibus composuit, coniuges duas, primam Boemam, secundam Almanam Henrici tertij imperatoris filiam habuit. Hinc iterum apparet Henrico tertio cum Sarmaticis Polonis nullam fuisse simultatem, sed quodcumq; negocium habuerit cum Slauis illi fuisse. Wladislaus monarcha primus, sed ab eo qui rebus ab initio præfuit decimusnonus, uita excessit Anno salutis .1102. die .4. Iunij in ecclesia Plocensi sepultus. Defectio regni. Vladisla⁹ Hermannus monarcha.

IS BOLESLAVM Crziwousti oris retorti filium reliquit. Qui Sarmatiæ et Poloniæ monarchiam secundo loco suscepit, eorum tamen qui rerum ab initio potiti uigesimus. Hic unicus Poloniæ princeps nunq̃ sine honoris præfatione nominandus, omnem maiorum suorum gloriam exuperauit. regni rebus domi pace firmatis, cum tot populis bella gessit, quot uicinos regnum suum habuit. Belæ Hungariæ Regi contra Andream auxiliatus, copias Cæsareas Andreæ gratia missas prælio uicit, omnibus Almanis captis aut cæsis, maxima liberalitate & humanitate usus in eos, quos fortuna ex pugna seruauerat. Anno ab his gestis altero, cum Henrico quarto feliciter bellum gessit, inito fœdere, imperatorem Bambergæ adijt, affinitatẽ asciuit. Iam denuo dicere nõ habeo quare generatione 37 secundi uoluminis Nauclerus ab Henrico quinto Polonos tributarios factos asserat, quom hoc Polonorũ historiæ non habeant, nec etiam apud alios scriptores reperiatur, sed ab Henrico ob iniuriam nuper in Hungaria acceptam bello fuisse petitos constat, quod tamen infœliciter Boleslaus Crziwousti. Altera Nauclerí assertio.

men infeliciter gessit. Boemis plurimis prælijs superior fuit. Pomeranos pene ad internetionem deleuit. Cum Lothario imperatore item Bambergæ cõuenit, Roxolanos a sua fide deficientes maximis uictorijs attriuit. At dum fortuna omne eius consilium iuuaret, egregium dedit suæ perfidiæ exemplum, docuitq; nihil in humanis rebus unq̃ firmum inueniri, cui non aliquando aduersa atq; plurimum mœsta misceantur. Vltima itaq; in Roxolanos expeditione proditus magis q̃ uictus succubuit, deinceps fortunã semper accusans, Viribus corporis nunq̃ resumptis uitæ suæ anno 54, principatus 36, Salutis 1139 humanis excessit, in Plocen̄ ecclesia ad patrem appositus.

Vladislaus. RELIQVIT filios quinq; Wladislaum, Boleslaum, Crispum, Mietzlaum, Henricum & Kazimirũ, his regnũ periculose diuisit. Monarchia apud Wladislaum natu maiorem remansit, hic rerum tertio loco inter monarchas potitus, ab initio autem regni uigesimus primus. Coniugis stultæ sequens consilium, in exilium pulsus moritur.

Boleslaus Crispus. BOLESLAVS Crispus fratrum assensu rerum potitus, incidit hoc in ãnum salutis 1146. Cum hoc Boleslao Conrado tertio imperatori negociũ fuit pro restituendo fratre, quod non armis primo temptatũ est. Quom enim per Sarmatiam Conradus 1147 in Græciam exercitum duceret, hæc res in quæstionem ueniens ad imperatoris reditum est reiecta. Verũ dum Conradus re infœliciter gesta redijsset, id negocium & pace & bello ab imperatore tentatũ re tamen infecta discessum est. Tandem a Friderico primo iterum pro eadẽ restitutione temptata res est bello, postremo inito fœdere & affinitate cũ imperatore facta. Poloniæ duces Wladislaum in Cæsaris gratiam assumere assenserunt. Verum anteq̃ reditũ pararet morte præuentus nihilominus in exi-

Error tẽporis. lio uita excessit. Hinc forte error nascitur quod Conradus secundus eam sit restitutionem contra Boleslaum conatus, sed ætatis ratio hæc nõ admittit. Cæterum quom Henrici quarti bellica in Poloniam expeditio apud Germanicarum rerum scriptores non reperiatur, & tamen uel legiones illius in Hungaria a Polonicis auxilijs captæ, uel cesæ apud exteros scriptores legantur. Henrici item quinti Polonici motus apud Nauclerum inueniãtur, quæ apud Polonos litteris nõ traduntur, an hæc historiæ inopia an complacendi studio acceperint non habeo dicere. Constat tamen Henricum quartum Anno salutis 1109 in quem annũ eius in Poloniam motus incidisse adscribuntur, in humanis non fuisse, quom anno 1106 septimo idus Augusti apud Leodium uita excessisse legatur, hacq; ratione historiæ nota erroris accædet, quã hominum iudicijs diffiniendam relinquere placet. Boleslaus itaq; monarcha quartus, & eorum qui ab initio prefuere uigesimus secundus, principatus anno 24 Salutis 1173 pridie kalendis Octobris obijt Graccouiæ repositus.

Mitzlaus. SVCCESSIT huic fratrum assensu Mitzlaus quinto loco, ab initio uigesimus tertius, hic dominandi auctoritatem in tyrannidem uertit.

Casimirus. EOQVE PVLSO Kazimirus frater sexto loco rem tutandam suscepit, ab initio uigesimus quartus, hic homo iustus & pius sub anno salutis 1194 die 5 Maij subito mortuus, Graccouiæ sepultus est.

Lesco albus. KAZIMIRO successit senatus auctoritate euectus Lesko albus Kazimiri filius ætate

filius ætate puer, septimo loco monarcha habitus, ab initio uigesimus quintus. huic uaria bellorum fortuna cum Mietzlao patruo pro monarchia fuit, quo tãdem humanis absumpto, ipse a Suantepelco Pomeraniæ præfecto crudeliter cæsus. Corpus eius Graccouiam relatum est. Inciderunt hæc in annũ salutis 1227 diẽ 14 Nouembris. Leskone albo cæso, aliquãdiu pro monarchia certatũ. & in illud tempus resp. uarijs motibus donec Boleslaus pudicus (de quo infra dicendum erit) adultus præficeretur afflicta est. Cędes Leskonis. 1221

QVOM VERO sub Leskone albo Cruciferi hoc est fratres hospitalis beatæ Mariæ uirginis domus Teuthonicorum in Hierusalem primitus Sarmatiæ solum ingressi perhibeantur, hoc loco ex usu fore uidetur, eorum initia altius repetere, tum quia huius professionis uiri nobiles, ob institutionis pietatem & egregia facinora celebre in orbe nomen consequuti sint, Primis initijs Polonorũ fines ingressi, Christianæ reip. strenue militãtes, a senatu atq; populo Polonico in maximo precio habiti sunt, tũm etiam qđ aucta fortuna atq; paulisper ex fœlicitate ocio crescente, simulq; opibus inualescẽtibus mutatis institutõis animis, bellis ut maximis ita periculosis, ruptis finibus Polonis negocia fecerunt. Hic igitur ordo sicut reliqui tres, pietatis causa etiam Hierosolymis initia sumpsisse fertur. Crescentibus enim paulisper apud Hierosolymã Christianorum rebus. Ordo militum sepulchri dominici primum initia accepit, huic firmatis iam rebus. Sancti Ioannis (qui nunc Rhodiani uocantur) omnium in orbe fortissimi milites successerunt. Post hunc Templariorũ initia sumpsit, quo sub Clemente quinto extincto, uisum est in extincti locum iterum tertiũ addere. A quodam uero pietatis uiro genere Teuthonico Hierosolymis habitante, ad opus pauperum Teuthonorum peregrinorum Xenodochium extructum, oratoriumq; diuæ uirgini sacrum adiectum est. Quibusdã deinde Teuthonibus habitantibus atq; abdicato sæculo bona sua conferentibus pietatis munus paulisper auctũ creuit, qui sic iuncti militum templi uiuendi normã susceptam ita custodiebãt, ne unq̃ susceptæ nuper hospitalitatis pietatẽ intermitterent. Quo facto quom Christianorũ exercitus Anno ab orbe redempto 1191 apud Acam alio nomine Ptolemaida ciuitatẽ castra posuisset, quidam Premenses & Lubecenses ciues ex nauium uelis hospitali facto pauperibus eleemosynas & officia præstiterunt, auxilio Friderici Sueuiæ ducis cooperante. Henrico Romanorum rege a Celestino papa ordinem hunc sub titulo hospitalis beatæ Mariæ uirginis domus Teuthonicorum in Hierusalem confirmari, prærogatiuisq; donari obtinuerunt. Hi deferũt chlamidem albam, nigra inserta simplici cruce, horas Canonicas ex oratione dominica complentes, Barbam nutriunt omnes, exceptis qui diuinis præsunt & sacris seruiunt. Frustra igitur qui nobilitatis nomen profitentur, plebeorum uirtuti inuidi, omne egregium atq; immortalitate dignum facinus a se initiatum posteris referunt. Sed utinam qui unius laticis aspersione Christo renati sunt, omnia pro fide parta memoranda facinora (uti initio fuit) communia haberent, omnibusq; esset nobilior qui uirtutibus resplenderet clarior, atq; ita demum uirtuti honos redderetur. non tot urbes, tot deniq; prouinciæ, nationes & populi Christianorum manibus erepti cernerentur, uel tanta segnicia perculsi hucusq;

Origo fratrũ Teuthonicũ ordinis.

Ordo militum sepulchri dñici

Ordo fratrum sctĩ Ioannis. Templarij.

1191 Acam ciuitas ptolemaida

Habitus fratrũ Teutho.

percussi hucusq; stertentes obdormiremus. Hæc missa faciens redeo. Eo anno hoc est 1191 (licet ordinis historiæ 1190 habeant hoc forte parum fidei nostræ contrarium erit.) Primus ordinis generalis Magister frater Henricus Walpolt rei militaris peritus apud Acam annis decem præfuit, mortuus atq; ibidem sepultus est. Huic per electionem successit frater Otto de Cripin 1200 præfuit in hospitali apud Acam annis sex ibidem mortuus & sepultus. Huic tertius Magister frater Hermannus Barth successit 1206, sedit annis quattuor ibidem obijt et sepelitur. Quartus in ordine electus frater Hermannus de Saltza 1210 præfuit annis triginta. Hic principū dignitatē ab Honorio atq; Friderico secundo meruit omnes & maiores ordinis prærogatiuas obtinuit. Ordo sub eius magistratu ita auctus creuit, ut in Romania, Almania, Armenia, Polonia, Hungaria, Liuonia & Prussia amplissimas possessiones obtineret, ditatus regum opibus par esse cepit. Anno magistratus trigesimo apud Barletum mortuus et sepultus est. Sub huius igitur primi in ordine principis regimine Conradus Mazouiæ dux feritate & uarijs Prussorum afflictionibus attritus, Cristini Culmensis Episcopi ex ordine Cistercieñ. consilium sequutus hūc ordinem euocauit, ipsosq; fratres in castro Dobrzin locauit. Hermannus uero magister ordinis fratrem Conradum de Landtsperg reliquit. Hæc primi ordinis mihi referuntur initia. Licet non sim nescius Aeneam Syluium & qui eum sequuntur aliter habere. Friderici secundi temporibus post Ptolemaidis amissionem fratres in Germaniam rediisse, Prussiamq; ab imperatore & postulasse & bullis aureis firmatam obtinuisse referunt. Verum non placet aliquid negocij hic mihi contrahere. Quando Nauclerus hanc assertionem ut uere erroneam Generatione 41 secūdi uoluminis diligenter elidit. Hoc tamen mihi ex uetusto exemplari nuper ex prussia conquisito in Almanico uulgari quondam per ordinis fratrem exscripto traditur, quod pauloante asserui, et hoc quod mox subijcio, Sub magistro Hermanno hæc gesta esse. Post quē quintus Magister qui & in ordine magistrorū nonus adnumeratur frater Burgardus de Suadm Anno salutis 1283 apud Acā electus, rebus annis septē præfuit, ibidem mortuus & sepultus. Quæ si ita sunt ut ordinis historiæ tradunt, esse non potest quod post Ptolemaidis amissionem a Friderico Prussiam ordo petierit, quom Fridericus anno 1250 humanis excesserit, & Ptolemais 1290 adhuc in manibus Christianorum fuerit. Hic res militum sanctæ Mariæ monent (quando supra memini Hermannum de Saltza Quartum in ordine magistrum ut eorū mihi adscribunt historiæ principum honores meruisse, ordinem sub eius magistratu plurimum auctum fuisse, Anno uero magistratus tricesimo uita functum apud Barletum conditū esse) totius Germaniæ summā mirari incuriam, nec satis intelligo qua re effectum sit, ut res ordinis in Apulia olim splendidissimas, ita neglexerint. Ego enim quom in Apuliam uenissem huius rei gratia studiosius apud Barletū uetera Germanorū monumenta contemplatus sum, eo loco cæterisq; plurimis, ut apud Mamfredoniam prope montem Garganum, ad sanctum (ut uocant) Leonardum, præterea in ipsis Apuliæ campis, prædiū extat, hodie turris Almanorū appellatum, hæc omnia sicuti cæteris in locis, non modo in Apulia, uerum etiam per

Romaniam &

Margin notes: Primus Magister ordinis. — II Magistes. — III. Magister. — IIII. Magister. Primus Princeps. — Fratrū Teuth. in hęc loca aduentus. — V. Magister.

Handwritten margin notes: 1191 — Dobrzin castrum — 1285 — 1290 ptolemais in manibus christianorum

Romaniam & Italiã totam, Germani olim strenue militantes magnifice condiderũt. hodie ne uestigium quidem religionis apparet. Qua de re minus ueniet admirandum si hæc quondam periculosa reipub. Christianæ bella, ab ordine in Polonicum & Sarmatiæ populum suscepta, Italicis patribus fuerint grata, interim enim ordinis res inclinatæ ad summas peruenerunt necessitates, quo facilius non modo Apulia sed & tota Italia eijcerētur hi milites, atq; quicquid olim Germanorũ sanguine atq; opibus partum est, tandem in Italorũ potestatẽ omni intermisso instituto pristino abijt. Quid igitur Germani mei in utramq; stertitis aurem? quid in sterilibus Sarmatiæ quæritis campis affluentis Apuliæ amœnas negligentes delitias? corruerunt ædificia maioribus nostris magnifice condita, perijt institutum pristinum & religio uestra, manent nihilominus redditus ut uocant. Euigilate, sumite animum, extat unica. s. Leonhardi abbatia (sic enim eũ locum illis appellare placz) quæ quondã uobis nouem millia aureorũ numorũ pendebat, hodie bis mille Aegidio ex patrum Cardineo ordine pendet. Reliquum Rex Germanus habet, tanto facilius recuperandũ quo magis ille & tenetur & studet Germanorũ augere gloriam. O dolenda & nunq̃ satis comploranda iactura, non contenta Italia quod omne aurum a Germanis uarijs studijs emulgeat & sedulos habeat, obseruatores, quin hoc afflictis addat malum, ut quod maiorum sanguine & opibus partũ est, uiolenter eripiat, atq; ultro eiciat, sic Romæ redditibus ereptis manet Teuthonicorũ militũ domus. Sic dum Germani unicam in Sublaco tenerent memoriam, nuper sub boni specie diui Pauli extra urbem monachis illud Cœnobiũ unitum, quo facilius omnia uorarent, qui alias plus decies & octo millia ducatorũ annis singulis in prouentibus habent. Hoc studẽtes ne ullum Germanis in Italia ius maneat, neue minimũ quod contribuant aliquando recipiatur, hæc placuit hic inferre. Vos euigilate Germani, sunt his plura atq; maiora, uestrum erit aut semper a maiorum uestigijs degenerare aut aliquando sumpto animo, si non eorum gloriam superare, æquare saltẽ & conseruare, eodem forte anno amissa. Hucusq; de ordinis primæuis initijs inferre placuit, nunc ad inceptum calamum dirigo. *Sancti Leonardi Abbatia.*

LESKONE ALBO iniquæ cæso, post quã ab Henrico cũ barba & Conrado multis prælijs certatum est. Postremum Boleslaus pudicus rebus præficitur, octauo loco monarchiæ ab initio uigesimus sextus, præfuit annis 37 homo uirtutibus adornatus. Sub cuius tamen imperio Polonia uarijs incommodis & bellis maximis, tum gentilium, tum etiam ciuilibus dissidijs uexata est. Obijt anno salutis 1279 die septima Decembris apud diuum Franciscum sepultus. Dum igitur Boleslaus princeps remp. administraret, Sal in locis subterraneis repertum traditur. In eo loco cui hodie Bochnia nomen est, idq; diuæ Kunegundis meritis factũ memoriæ tradunt. Dum enim beata princeps Belam Hungarie regem parentem suum adijsset, & aliquamdiu per regnum ducta, in eum locũ qui Marmarus seu Maromus appellatur uenisset, parentẽ pro salis cauerna exorasse perhibetur, annuit parens, filiæq; ex pluribus unã tribuit, illa rapto a digito annulo, cauernæ quam delegerat arrham immisit, factum tunc forte ridiculum, paulo uero post dum illa in regnum redijsset, in *Boleslaus pudicus.* *Sal repertũ ad Bochniam.*

eo quem dixi uico casu sal repertum, primisq; initijs lapidum more extractũ est, in quorum uno annulus diuæ Kunegundis nuper Hungarico solo proiectus repertus est. res memoria digna, quam quom Hungari initio deriderēt, in hanc tamen usq; ætatem cum Polonis diuino utuntur munere, quodq; semel repertum durat & multis effossum cauernis perpetuas diuitias ostendit. Inciderunt hæc in annum ab orbe redempto millesimũ supra ducentesimum quinquagesimum primum. Est locus in plano, pauculis sed a longe nec saxosis septus collibus, cui oppidum superædificatũ, eo tribus in locis a luce quadrangularia foramina centum triginta cubitorum ad ima in profundum ducunt, itur dehinc centum & ultra cubitis in plano meatu, ubi secũdum est ad ima nonaginta cubitorum foramē. iterumq; post planum meatum ad usq; tertium totidem cubitorum per descensum foramen, reliquũ iter per scalas interiectis tamen multis per planum meatibus, in diuersas cauernas nõ eadem profunditate sitas tendit, ibi sal ingentium saxorum specie excisum execatur, dehinc in æqualia frustra, quæ bancos appellant operarij, funibusq; extrahuntur. Per primũ itaq; quod a luce est foramen in funibus penduli homines dimittuntur, reliquum iter per scalas descendenti emetiendum est. Totus tamē descẽsus unius perficitur horæ spacio, descenditur atq; laboratur sæpe cũ periculo, itur itaq; perpetua spe in profundum per fodinas, nec unq̃ diuæ uirginis Kunegundis meritis efficientibus, thesauri reperti finis apparet. Aqua (nisi quæ desuper a luce penetrat) nusq̃ reperitur, utcumq; ab extra aeris intemperies in mõtibus eadem qualitas habetur. Hoc spectaculũ inter orbis spectacula digne connumerandum, uir omni laude dignus Ioachimus Vadianus doctor & poeta de quo libro tertio mihi dicendum ueniet superiori anno uidit atq; miratus est. Ego quoq; non parum sæpe meis sum pedibus emensus, his paucis enarratis ad instituti ordinem redire opportet.

Cauernę fodinę Bochnień.

Henricus cum barba.

BOLESLAO VERO pudico Henricus cũ barba Poloniæ & Silesiæ princeps nono loco secundum aliquos res tutandas suscepit, eorum qui ab initio præfuerũt uigesimus septimus, princeps heroicis uirtutibus clarus. Dominus Miechouień hunc non annumerat, forte nõ sine argumento, eo ꝙ remp. dumtaxat alterius nomine tutatus sit. Ponitur statim ipso anno quo Boleslaus pudicus uita excessit, Lesko niger in nonum locum. Mihi uero non ab re uisum Henrico cum istis qui interregni rebus præfuerunt, ob uarios motus & multa egregia facinora locum adscribere.

Lesko niger

ANNO VERO quo Boleslaus pudicus uitam cum morte mutauit. Fertur Lesko niger ad remp. regendam assumptus, qui decimo loco præfuit interregno existente, eorũ qui ab initio fuere uigesimus octauus. Dũ is remp. moderari cepisset, multorũ animi in eam euecti uarijs motibus ubiq; laboratum est. Bellum grauissimũ cum Conrado Mazouiæ principe & socijs gessit, quo multis incommodis affectus est. Tandem Teuthonicorum Graccouiensium opera, arce in fide seruata, ex Hungaria collectis copijs Conradum & qui eũ secuti acie uno prælio uicit, atq; sic rerum potitus Germanos ob fidem innocentissime seruatam prærogatiuis extulit, hinc Magistratus urbis & alia insignia solis Tenthonicis perpetuo iure concessit. Tanto Teuthones prosequutus affectu, ut

Teuthonum Graccouień. fides & priuilegia.

tus affectu, ut habitu atq; moribus se illis conformare nõ dubitaret. Vir profecto magni consilij, qui dum maximo populo præesset, hanc tamen titulis suis laudem addere uoluit, quod Teuthonicis Germanicisq; populis ultro se accedẽtibus imperaret. Ab eo tempore Sarmatiæ principes atq; reges Germanorum fidem in precio habere cœperũt, hincq; in totum ferme regnũ iura Teuthonica introducta, atq; in hanc ætatẽ innocentissime custodita sunt. Germani gens in Europa clarissima, pro cuius imperio multo certatũ sanguine, nullo unq̃ populo tam se sua sponte coniunxit, miro id fato fieri constat. Nam ut dulcius uideatur primæuæ originis solum repetere/quam externis nationibus subesse, id forte Sarmatiæ regibus non postrema gloria tot Germanicis populis imperare/eosq; humanitate uincere/qui armis semper inuicti fuere. Lesko igitur anno salutis 1289 die Septembris ultima humanis excessit/Graccouiæ apud sanctissimæ trinitatis ædem digno conditus honore.

SVCCESSIT LESKONI nigro Boleslaus Mazouiæ dux Senatus assensu, paulisper rerũ potitus monarchia pulsus est/præfuit undecimo loco/ab initio uigesimus nonus. Boleslaus Mazouię dux.

HVIC SVCCESSIT Henricus dux Silesiæ & Poloniæ cognomẽto Probus, cui pro monarchia uarij cum Wladislao cubitali motus/hinc inde sæpius uictores rerum potiti, tandem Henricus superior in ipso monarchatu ueneno forte extinctus Wratislauiæ moritur sub anno salutis 1290 die 22 Augusti apud sanctam Crucem sepultus. Is rebus duodecimo loco præfuit, & eorũ qui ab initio fuere tricesimus. Henricus probus.

HENRICO EXTINcto/tertiodecimo loco successit Wladislaus Cubitalis, eorum qui ab initio fuere tricesimus primus/sed in ipsis initijs pulsus. Vladislaus Cubitalis.

PRZEMISLAVS Maioris Poloniæ dux rem tutandam suscepit quartodecimo loco & eorum qui ab initio fuere tricesimus secundus/& hic quoq; mox in ipsis initijs pulsus. Przemislaus Maioris Polonię Dux.

VENCESLAVS Bohemus quintodecimo loco eorũ qui interregno præfuere, ab initio uero tricesimus tertius rebus præfuit, hic uarijs euentibus cum Wladislao Cubitali bella gessit. Eo itaq; rebus præfecto, Senatui atq; populo ad unius regni maiestatem remp. reducere uisum fuit, factis comitijs, Przemislaum ducem regio honore decorarunt. Hic princeps clarus & uirtutibus relucens Remp. uotis omnium assequutus, magnam initio de se spem promittens. Sed dum in omni hominum uita nihil non amaritudine admixtum reperiatur. Sarmatiæ populus regis sui fructu breui potitus est, dum enim apud Rogozno comicia agit eodem anno postq̃ mensibus septem præfuit a Marchionibus Brandeburgeñ/in gratiam forte Venceslai Bohemi misere cæsus est, præfuit cessante inter regno primo loco/eorum tamen qui ab initio præfuere tricesimus quartus. Venceslaus Bohemus. Przemislaus Rex. Przemislai interitus.

SVBLATO PRZEMISLAO senatus consulto de rege substituẽdo apud Poznaniã sub anno 1769 in Aprili comitia habita. Wladislausq; Cubitalis multis comprobatus argumentis coronandus decretus est. Verum dum certis prostitueretur uitijs/& coronationem differret/conceptamq; de se spem non præstaret/abrogata electione rerum non potitus est. Vladislaus Cubitalis iterum.

D Sub anno

Venceslaus Bohemus.

SVB ANNO salutis 1300 apud Poznaniam nouis habitis comitiis Venceslaus Bohemus suffectus, & Gneznæ coronatus est. Sarmatarum rempub. post inter regnum secundo loco habuit, ab initio tricesimus quintus præfuit, pace uel bello rebus Polonicis compositis in Bohemiam rediit. Sub anno salutis 1305 die 25 Iunii extremum clausit diem Pragæ sepultus.

Venceslaus II.

HVIC NATVræ ordine Venceslaus tertius successisset, uerum dum is in Sarmatiam iter maturaret in Olomuncz seu Iulimonte necæ præuentus misere interiit, qui quom rerum habenas non susceperit a me in principum ordinem non adnumeratur.

Vladislaus Cubitalis tercio.

SVBLATIS EX Bohemia assumptis regibus Wladislaus Cubitalis iterũ rem tutandam suscepit, non tamen regium fastigium assequutus nisi post multa pro patria bella & uarios partos triumphos, senatus consulto sub anno salutis 1320 die 18 Ianuarii Gracco. Regiã maiestatem & regni diadema suscepit, præfuit post inter regnũ tertio loco, ab initio tricesimus sextus. Post hæc Wladislaꝰ rerũ gestarũ laude clarꝰ, multa atq; maxima ꝓ regno gessit bella, confectus ætate Anno salutis 1333 quarta Martii Graccouiæ supremũ clausit diem, et in templo maiori humatus est. Sub huius regis temporibus uniuersa ferme Silesia ad Bohemos defecisse traditur. Wladislao Cubitali morte consumpto apud Gracco. comitia de nouo rege substituendo habita.

Casimirus magnus.

SVB ANNO itaq; 1333 die 25 Aprilis senatus consulto Kazimirus postea magnus cognominatus Wladislai Cubitalis filius Graccouiæ reipu. præfectus, & in regem coronatus est. hic princeps pace domi consilio magnus, bello foris maximus præfuit, tot clara gesta peregit quot unq̃ Sarmatiæ princeps facere potuit, tot in regno edificia extulit, atq; a fundamentis extruxit, quot uix a successoribus Poloniæ regibus in Sigismundi primi tempora ne ruerent seruari potuerunt. Multis redimitus uirtutibus pace aq; bello clarus fuit. Verũ cum humana imbecilla conditio nunq̃ sine incõmodo uiuat, atq; nihil ex omni parte reperiatur beatũ, ita et hic clarissimus princeps nõ sine uitiis uitam egit, atq; nõnihil heroicas dotes luxuria & incontinẽtiæ malo obumbrauit. Sub ãno ab orbe redempto 1370 die quinta Nouẽbris Graccouiæ ultimũ clausit diem, præfuit post inter regnum quarto loco, eorum uero qui ab initio præfuere tricesimus septimus.

Ludouicus rex Hungariȩ.

HVIC EX condicto Ludouicus Kazimiri ex sorore nepos Hungariæ rex successit Corona atq; rerum eo ãno die 17 Nouembr. apud Gracco. potitus, remp. quinto loco post inter regnũ, et eorum qui ab initio tricesimus octauus suscepit. Is præfuit apud Sarmatas annis duodecim. Sub anno salutis humanæ 1382 die 13 Septembr. apud Tirnauam mortuus in albã regalẽ relatus est.

Heduigis

HVIC HEDVIGIS filia Senatus plebisq; scitu successit, quæ primis initiis Wilhelmo Austriæ principi senatus assensu nupsit, sed is anteq̃ res tutandas suscepisset, & thalamum fuisset ingressus, regina inuita repulsus est. præfuit Heduigis uirgo post inter regnum sexto, eorũ qui ab intio fuere tricesimo nono loco, atq; ita a primordio gentium ad inclytæ uirginis ætatem Sarmatarum & Polonorum se res habuere.

IN LIBRVM DE IAIAGELLONVM FAMILIA PRAEFATIO.

SARMATICARVM GENTIVM ORIginem & uetustates quæ domi pace, ac foris bello gesserint, q̄tq; principes ab initio præfuerint, uno iam libro exposui. Hic sicuti cæteris in rebus nimia uetustas negotium obscurat, sed mali huius initium antea mihi dictũ; uel quod magno temporũ interuallo res memoriæ omnino exciderũt, uel quod nullæ aut raræ ab initio litteræ fuere, quibus (unico uidelicet fideli uetustatis et memoriæ subsidio) gestarũ rerũ series traditur. Equidem nõ sum nescius uix omnibus aut certe paucis meã placiturã assertionẽ, at quom omniũ ferme disciplinarũ genus uarijs & ut sæpe dubijs obijciatur disceptationibus, esse forte poterit, ut si cominus fuero aggressus, mea etiã opinio non improbis argumentis fultiatur. Cũ enim eos potissimũ sequutus sim quorũ mihi traditio temporum interuallo firmata perhibetur, negocium erit eosdem una mecum euertere, aut ea quæ maiorum traditionibus asserui non lacerata cõniuentibus oculis accipere. Iam quod secundo libro explicare statui calamus efficere festinat, tu lector optime Vale.

HEDVIGIS princeps uirgo & Sarmatici populi regina quemadmodũ primi mihi libri finem effecit, ita ab ea secũdi quoq; libri initium summere ex usu erit, tum quod priscorum principũ atq; regum genus in ea rebus præesse desijt, tum etiam quod ea præfecta rebus, externa sed longe clarissima Iagellonum ex Lithuanis accita familia simul & res tutandas & Christi fidem suscepit. Quando uero susceptus labor non parum de hinc in Lithuanicis rebus negociũ habet, operæ preciũ erit nõnihil eius principatus facere mentionẽ. Primo itaq; libro non leuibus argumẽtis, hãc (sicuti alias gentes in eo solo existẽtes) Sarmatiæ esse nationẽ exponere uolui, nõ ab re tamen hic uisum est, anteaq̃ narrandi initia faciam, nominis atq; gentis reddere originem. Lithuanicũ uero nouum & latinis scriptoribus incognitum nomen est, qua aũt ætate ea prouintia id nominis sortita sit, longo temporum interuallo nõ apparet. Aeneas Syluius qui in ea re nõ parum sudauit, totum negocium ita exponit, ut loci illius sitũ magis quã gentis originem aut priscæ uetustatis nomen ostendere uideatur. Dũ enim curiosius nouissime gentis ante susceptã fidem ritus & mores ab Hieronymo quodam acceptos prosequitur, nullibi docet quo prisco nomine ea gens fuerit appellata, hic sicuti in plerisq; alijs traditionibus ingens eum neotericorum manus sequuta est. Sunt quibus Lithuani simul cum Prutenis Phinni tradantur. Ego Phinnos (si Ptolemæo fides) Prutenos nõ negauerim, uerum Lithuanos non crediderim, quom alios in ea regione populos Ptole. depinxerit, qui omnes mihi hodie Lithuani uidentur. Dubius meus erit plerisq; sermo multos in Lithuania populos tradens. At illi si Lithuaniam tot populorum altricem reliqua Polonia maiorem meminerint, facile non unius olim quoq; populi

Transgressio.

Lithuaniæ descriptio.

Quę olim in Lithuania gentes.

Lithuaniam fuisse seruatricem intelligēt. Omnis itaq; Lithuanis culta regio harum olim gentium qui Ptolemæo ita dicuntur fuisse uidetur, Galindæ/Bodini/Genini/Sudini/Cariones/Amaxobij/Stabani/Sargacij/Sturni/Vibiones/Nasci/& Asubi. Hi populi omnes olim eo situ depingūtur, quē hac Lithuani ætate comprehenderunt. Lithuania uero hodie his limitibus ambitur.

Limites lithuanię hodie.

Statim post Ombrones, id est Lublineñ Palatinatum, ad latus Septemtrionale ad Mazouiam usq; Venedicos montes & Phinnos, i. Prutenos protenditur. Hi aliquibus Borussi creduntur, altius enim huius gentis originem repetentes inueniemus eum populum qui Ptolemæo ad Riphæos mōtes in ijsdē sedibus quas hodie Europæi Moschi forte occuparūt Borussios uocari. Hos, sedibus ob rigidum cœlū soliq; infœlicitatem permutatis, in eam oram quæ nunc Prussia est uenisse tradunt, atq; inde priscis pulsis colonis regionē quasi armis partam ex suo nomine uocasse perhibent. Hanc opinionem Erasmus Stella homo litteris eruditus in Borussiæ uetustatibus sequutus hinc gentis & Borussiæ originem summit Argumentū sine controuersia non improbum. Verū & illi ad Borussiæ oram aliqui populi adnumerantur, quos ego Lithuanorum moderniori situi uel limitibus adscripsi, q̄q̄ illud ego non impugno. Esse enim potest ut Borussiæ limites olim plures (quā hodie habet) populos continerent, multis tamen ab hinc ætatibus potentiorum mihi aliud imperium atq; nomen (ut crebro factū constat) sortitos esse. Hac tamē ætate Lithuania cū Prutenis a Septentrione adusq; Samagittas contigua, Samagittis uero ad Septentrionis oceanum conterminis Lithuaniam pertinentibus adusq; Liuoniam, & dehinc ad magni Moschi principatum extenditur, quem ab oriente habet. A meridie uero Roxolanos redeundo ad Polonos, quos ab occidente habet adusq; iterū Ombrones/his finibus ambitur. Sarmatiæ ferme quarta pars apparet. Quibus ego limitibus supra commemoratos olim populos habitasse non ab re crediderim. Mihi uero nō constat quare Aeneas Syluius

Borussi qui.

Massagetę ubi.

Massagetas post Prussiā habitare in suis descriptionibus asseruit, nomen his finibus nunq̄ commune. Massagetas enim qui et Amazones aliquibus sunt in Scythis Asiaticis fuisse constat, Ptolemæo uero in eum locū nunq̄ adscribuntur. Satisfactū credo Lithuaniæ Samagittiæq; (quæ unius imperio parent) fines his limitibus exposuisse. Si cui aliter tradendum uisum fuerit, parum ad me pertinere uidetur, quom modo Lithuaniam Samagittiamq; Sarmatiæ populos, atq; iam pridem nouum hoc uocabulum sumpsisse admittat. Superest & noui nominis, quod & ipsum in opinione esse uidetur indagare initium. Lithuani itaq; aliquibus a Lituo quod cornu significat certis ratiōibus dici creduntur, horum opinio perinde ac anilis habita irridetur. Sunt alij qui Italos eam regionem ingressos patrio iam solo Italia & genti Italiæ nomen indidisse perhibent. Verum posteris L littera adhibita Lithaliam atq; Lithalos fuisse appellatos, maiori dehinc ætate addita uicinioribus populis uocabulo magis corrupto Lithuanos atq; Lithuaniā uocatos esse affirmant. Hanc dn̄s Miechouieñ assertionem libro quarto capite 39 expeditius scribit. Postremo aliorum opinione traditur. Lithuanos olim ex Borussiæ finibus Lithalano duce egressos, priscas sedes olim uacuas relictas impleuisse, quondam Alani relictis sedibus

Lithuani unde dicti.

Lithalanus Dux.

lictis sedibus illis in Borussiæ fines migrasse dicuntur. Cum uero Lithalanus priscas sedes reperijsse tradatur, & eas quidẽ unde olim Alani fuerint egressi apparet Lithuanos hodie quoq; eam habere oram quam olim Alani occupauerant. Ego uero Alanos magis ad Ruthenos pertinere affirmarem. Sed & hoc esse potest quod illa regio Ruthenis a Lithuanis olim bello quæsita sit. Hanc assertionem Erasmus Stella pulchris rationibus affirmauit. Ego in tanta rerum mutatione & post tot temporum interualla non plane habeo quid dicam, rem(ut est) in opinione relinquo. Lithuania Samagittiaq; Sarmatiæ regibus parent, præscriptis finibus terminantur, gens quidem nũc Catholica, olim uarijs ridendisq; adacta religionibus quibus ad Iagellonis usq; tempora delituit. Ex hac regione atq; his populis Ludouico morte sublato, Wilhelmoq; duce Austriæ pulso, Polonis rex & Heduigi regni socius assumptus est. Quoniam uero ex ea familia in hanc ætatem Poloniæ Hungariæ Bohemiæq; regnis plures reges nati sunt, ac plerisq; clarissimis principibus inclytæ uirgines per cõnubia iunctæ tradantur. Ex usu mihi uisum est libro uno eam familiam describere, in arbore quoq; depictam hic inserere.

VERVM ANTEq̃ in hac genealogia regum singulorũ quædam gesta describam, uniuersam prius stirpem paucis subicere placuit. Erat apud Lithuanos princeps Olgerdus nomine, qui post multa bellorum pericula apud suos sublatis sex fratribus uniuersam ferme rempu. tutatus est. Hic etsi uti constat maioribus non caruit, tamen mihi is potissimum(ne ad humani generis primæua initia ad quorumdam exemplũ omnia referre oporteat)dicendi & familiæ faciet principium. Olgerdus itaq; apud Lithuanos rebus præfuit, habuit filios una matre genitos duodecim, omnium natu maior Iagello/Skirgello/Switrigello/Borczisch/Koributh/Vigunth/Korigal/Harimunt/Langwin, Lubarth, Andreas, & Buthaws, qui etsi temporum successu multiplicati fuerint, cæteri tamen uno Iagellone(ex cuius renibus hæc principum propago surrexit) dempto/prætermittendi a me erũt. Iagello itaq; quatuor uxorum maritus fuit, quarum Prima Heduigis Ludouici Hungariæ & Poloniæ regis filia, ex qua unicam habuit filiam Elizabet Bonifaciam, Secundam Annam Ciliæ comitis filiam, ex qua unicam filiã Heduigin nomine suscepit. Tertiam Elizabeth ex familia Pilecensium. Quarta Sophia græci ritus fœmina, sacro prius fonte lota q̃ regium thalamum ascenderet. Ex hac quarta coniuge suscepit Wladislaum, Kazimirum primum, Kazimirum secundum. Verũ mihi ne ad generalem huius familiæ descriptionem deueniam, in animo est, pro ætatis & principij ordine, singulorum facere potius obiter mentionem, eo q; generalis illa demonstratio in arbore quam depinxi continetur. Festinat itaq; stilus ut singulorum quædam memoratu digna heroicaq; facinora tradat, nõ tamen aliter quã obiter, uti ab initio pollicitus sum. Eo q; hæc omnia apud dñm Miechouieñ reperiantur, Cuius historiæ hic liber index ferme censebitur, iam uero ad institutum pergit sermo. Olgerdus itaq; Lithuaniæ princeps rerum inter suos potitus sex habuit ut supra mihi dictũ fuit fratres, Princeps quidem ethnicus, sed militari disciplina clarus, multa cũ ordine sanctæ Mariæ domus Teuthonicorũ bella uario euentu gessit. Quæ etsi Christianis

Stirps Iagellonum.

Olgerdus.

Olgerdi filij.

Iagello.

Vxores Iagellonis.

Olgerdi res gestę.

gentilis & barbarus intulit, Veniam nihilominus habent, armorum enim & pro imperio belli studia ad religionem non pertinent, eum si quidem deorum cultum quem dijs patrijs ex maiorum traditione præstitũ constat, ut quisquis accepit ita uel extrema adactus calamitate tuta͞t. Cum deniq; ea gens uarijs delyraret religiõibus, sui quoq; ritus summi uisi sibi sunt, Olgerdus uero (sicuti cæterarum quoq; gentium mos est) & pro dijs patrijs & imperij augmẽto susceptũ bellum ita gessit, ut patriæ studiũ admonuit. Cuius si qs egregia facta scire uoluerit, ponat de fidei cultu disceptatiõem, & reliquo in belli ordine ducis optimi officiũ cõperiet. Absumptus est ãno humanæ salutis 1381.

Iagello filius.

IAGELLONEM natu maiorem in principatu successorem reliquit, hic paternis uestigijs inhærens, suscepta cum finitimis populis bella prosequutus, barbarico Ethnicoq; animo tã Polonos q̃ Prutenos & Roxolanos uaria belli sorte molestauit. Verum quæ ethnicus bella gessit, quom alibi habeãtur, nec ad institutum ex usu ueniant, exponere non est in animo. Ad ea properare lubet quæ ad reipub. habenas tutandas assumptus rex gesserit enarrare. Pulso itaq; Wilhelmo Austriaco quod ad remp. integre conseruandam illi haud satis uiriũ esset. Legati Iagellonis Heduigim Ludouici natam suo principi consortem postulauere, is ad reip. commoda facultates omnes ultro obtulit, cæterum & Catholicam fidem cum populis quibus præfuit sponte suscipere, & reliqua quæ regno ex usu forent extremis etiam periculis pollicitus est. Senatus rem ad reginæ matrem reiecit, missis quidẽ legatis de rebus domi quoq; cõsultum est. Hinc duplici comodo permoti, ad eos maxime pertinere decretum si ex oriente sumpto rege, patriam ab eruptione tot populorum redemissent, sicq; etiã Christiani nominis inimicam manũ ad ecclesiæ unitatem ab erroribus auerterent. Firmata res, atq; Iagello sacri quidem laticis aspersione lotus ad regnum admissus, Wladislai nomen sortitus est. Sed & fratres fidem edocti ex aqua Christo sunt renati. Hæc in annum ab orbe redempto 1386 inciderunt. Sarmatiæ sceptris obtentis rebusq; domi pacatis simul cum regina Lithuaniam ingressus, eum populum, Samagittasq; uota Polonis reddens ad fidei Catholicæ lumen conuertit, ea enim gens a prima hominũ origine idolatrijs dedita excæcatis animis uarijs & ridiculis erroneisq; opinionibus obumbrata in hanc ætatem ueri luminis iubar ignorauit. Anno ab orbe redempto 1387 cum maximo reipu. Christianæ bono priscis abiectis uanitatibus ad ecclesiæ Romanæ obediẽtiam optimi principis authoritate inducta, Vilneñ & Medniceñ Episcopatus fundauit. Varios deinde cum fratribus tumultus habuit. Anno uero salutis 1399 die 12 Iulij Heduigis regina Poloniæ Wladislai prima consors uita excessit, ex ea paulo antea 12 Iunij filiam Elizabeth Bonifaciam susceperat, quæ triduo tantum superuiuens mortua est. Heduigi uero ex humanis absumpta, Wladislaus nonnihil Polonorum fidem quod a repu. reici timeret suspectam habere cepit. Verum ea gens quæ semel datam fidẽ nulla unq̃ calamitate adacta uiolauit. Wladislao consolato Senatus decreto ad secundũ induxit connubiũ. Vilhelmi itaq; Ciliæ comitis filia magni Kazimiri neptis eius thalamo 1400 adducta ẽ, quæ et ipsa regni ex Kazimiro hæres Anno postea 1402 in reginã coronata fuit. Eo etiã ãno generale Gymnasium a Wladislao

Iagello Christianus Wladislaus cognominatus.

Lithuani Samagittæq; conuersi.

Heduigis decessus.

II. uxor Wladislai.

sium a Wladislao

sium a Wladislao ex olim Heduigis reginæ testamento iam pridem a Kasi/
miro ceptum, Graccouiæ optimis initijs firmatum est, uario disciplinarū ge/
nere in hanc ætatem clarum. Ab eo quoq; tempore ordo fratrum Teuthoni/
corum iam pridem in Lithuaniam Samagittiamq; cepta bella confecturus
prisco more in Lithuaniā uarias fecit eruptiones, accessit ordini fratrum du/
cum Lithuaniæ dissidium. Wladislao atq; Vitowdo patriam tueri negociū
fuit, quibus remp. tutantibus cum ordine bellum contrahendum fuit. Quod
tum semel paruis initijs & uarijs fortunæ euentibus ceptum tam ex Polonia
quā Lithuania non sine rerum discrimine ad annū usq; 1410 gestum est, tan/
ta audacia utrinq; ꝓ alieno imperio pugnatū, quantū suū cuiq; retinere ne/
gocium fuit, Polonis ut iam pridem belli iure, & quædam cōtra ius gentium
amissa Sarmatiæ imperio redderent. Ordini ut semel parta tutaretur, & do/
minādi maiestatē ampliaret studiū fuit, sed dispar belli initiū periculosum ui/
ctoriæ euentū prebuit, uarijs dehinc induciarū et pacis præstitis cōditiōibus.
Res publico marte decernenda fuit. Poloni uniuersis Sarmatiæ populis ad
hoc bellū negociū fecerūt. Ex socijs quoq; et mercenarijs militib9 auxilia pa
rauerūt. Est et ad hoc bellū Thartarorū imperator accitus. Prutenicus uero
Magister Germaniæ nobilitatē aduocauit. Præterea Liuoniæ & sociorū auxi
lia q̃siuit. Cæterū mercennario quoq; milite exercitū āpliauit, et reliq̃ dome
stica arma supra uires adhibuit. Vtrimq; hoc ordine maximo parato exercitu
multarū gentiū populi, ut quisq; uel gratiæ uel odij stimulo tactus, reb9 bene
uel male fauētes, suis singuli fortunā fœlicēq; uictoriā precati sūt. Anno itaq;
ab orbe redempto supra Millesimum quadringentesimū decimo, uterq; exer
citus die 15 Iulij, quæ diuorum Apostolorum migrationi dicata est, in loco
prope Tannenbergk & Grinwalt castra posuit, nullum tunc ducum ante me
morabilem pugnam colloquiū fuit. Conradus itaq; de Inngingen ordinis tūc
generalis Magister, orto iam sole ex castris militem prælij cupidus eduxit.
Oratione quidem rebus atq; periculo accommodata exercitum cohortatus,
hac suprema pugna belli finem uictori nō modo in Prussos, sed & in Polonos
imperium adesse docuit. Ad hæc recentibus uictorijs & rerum ab se gestarū
memoria militibus animum auxit. Contra hostē numero superiorem, uerum
inermem, barbarum, multarum gentium colluuiem, non unius linguæ, & nō
eandem omnibus militandi causam esse exponit, atq; ita credendum hoc in
loco nihil quod uel boni imperatoris ducisue, uel militis optimi officiū erat,
neglectum fuisse. Instruit dehinc omnium primos Cataphractatos hastatosq;
& mercenarios milites, ut ad primum terrorem inermes Lithuanos Tarta/
rosq; turbarēt. Aciem deinde secundam ex ueteranis ordinis militibus & his
in q̃bus negotij uel belli summa spes esset aliquali interuallo relicto locauit.
Postremam autem ex auxiliarijs copijs sociorumq; militibus aciem cōclusit.
Hæcq; omnia mira & incredibili animi magnitudine hostiū congressum ex/
optās per cohortes & manipulos sub uno ac quinquaginta militaribus signis
distinxit, Sarmatiæ uero rex Wladislaus postq̄ primo diluculo a Dambrow/
no in eum locum quē supra adscripsi duobus millibus passuū castra mouisset,
uniuersum sisti iubet exercitū, & inter ipsa rubeta ad id paratis sacerdotibus

Gymnasium Graccouien. institutum.

Teuthonici ordinis bellum.

1410 bellorum prussie finis

Moles belli.

Tannenberg

Conradus de Inngingen Magister ordinis.

Aciei Teutho. instructio.

duplicatum deo offerri iussit sacrificium, eo loco nisi missarum ut appellant orationesq; finis esset, nullo pauore uel nunctio moueri potuit. A ducibus interim acies instructæ. Lithuani/Tarthari/atq; Rutheni in dextrum cornu locati. Iis Alexander Witowdus Lithuaniæ dux præfectus est. Poloni omnes, auxiliaresq; & mercennariorum militum copiæ sinistrum sortitæ. Sed & per cohortes & manipulos locorum interuallo distinctos, ad quinquaginta Poloni. Lithuani uero & auxiliarij Tarthari sub quadraginta militaribus signis instructi traduntur. Ita uterq; exercitus alter alterius aspectu, ut unumquemq; spes uictoriæ aut periculi metus occupauit, ita attonitus uel animo forti congressum præstolabat. Sarmatiæ quidem exercitus & gentium ferocitate superior contra armorum usu, & linguarum disparitate, quod in rebus bellicis sæpe summum discrimen est inferior. Mariani ordinis item exercitus ut numero inferior, ita equorum armorumq; & machinarum copia instructior apparuit. Nullum omnino in utrisq; castris hominum genus, quod non pugnæ auidum, duces militum, militesq; ducum animos spectabant. Dum hæc aguntur. Wladislaus orationi deditus, multis internunctijs & per Alexandrum ipsum ad supremũ certamen euocatus est. Sunt qui perhibent interim Lithuanos & socios congressos atq; in fugam uersos fuisse, quo clamore ex fuga ad regem perlato, tandem armatum pugnæ accessisse. Verum neq; Sarmatarum neq; Ordinis historiæ hæc referunt. Magister uero moræ impatiens, Caduceatoribus missis Regi & Alexandro duos enses misit, cohortatus ut syluis relictis, prælij copiam facerent. Enses a Rege bono omine suscepti, belli euentus deo commissus est. Finitis tandem diuinis officijs, Rex ad pugnam armis accinctus in collem propinquum unde uterq; exercitus conspici poterat uectus est, uisis autem quæ ex usu uidebantur Rex ad suos redijt, admonitisq; militibus, ut pro patria/sacris/ædibus/coniugibus atq; pignoribus, pro libertate atq; gloria audacter pugnarent. Hoc unico prælio rem omnẽ belli finitam, uictori nihil ultro deficere, totam Prussiam mercedem fore docuit. Hæc nunc Lithuanis, Samagittisq;, nunc Polonis atq; auxiliarijs militibus mutato sermonis usu, ut quęq; intelligere cognouit, læto etiam animo quasi in manibus uictoria foret dicebat. Tum multarum gentium animi, donec tubæ classicũ canerent in se inuicem erecti, spe uictoriæ atq; periculi metu adacti, pro summa gloria certare contendunt, ignari quibus deo placeat uictoriam fauere, & subito utrimq; tubæ cornuaq; cecinere, datis signis Germani mox cum Lithuanis & socijs pugnæ initia fecerunt, sinistrũ uero cornu quod Polonis commissum, paucula interiecta mora, in Germanorum exercitum inductum est, & quũ maxime infensis animis omni parte concursum, clamores multo maximi editi, horribilis sonus & fragor, ut in uarijs populis nõ eadem pugnãdi consuetudo ita nõ eisdem sed disparibus militiæ disciplinis funestum Germanis sed fœlix Polonis prælium initia cepit. Pugnatum est con fertissimis signis aliquandiu ancipiti marte. Sarmatæ nõ tam feriebantur audacter q̃ constanter uulnera suscipiebant, Donec dextrũ cornu quod Lithuani & Thartari occupabant Germanorũ audacẽ pertinatiam ferre nõ posset, strage multo maxima in suos edita pedẽ primũ referre, deinde in apertã fugã abire coactũ est.

Polonorum acies

Pugna acerrima.

abire coacti sunt, Alexander dum suorũ fugam frustra cohiberet, ad Polonorum aciem sese conuertit. Ruthenico iunctus militi qui tribus signis pugnabat, prælium a nouo cũ Polonis instaurabat, fugato uero atq; nudato dextro cornu omne apud regem ipsum et Polonos erat periculum, utrinq; diu intrepide atq; pertinaciter pugnatũ est, donec & pculsis terror additus, Ex Polonorum acie Bohemi Morauiq; qui stipendio militabant Duce Szarnowskeo Bohemo prælio excesserunt. Nihilo duplicato malo perterriti Poloni aciebus a nouo instructis ferocissimis animis in confertissimos hostes inuehũtur, iamq; in longa prælij mora summũ discrimen esse cepit. Quom Germani pugnando fessi remissius instabant. Subito itaq; cohors noua per manipulos in Polonorum aciem, & eum locum ubi periculi summa erat inducta, & ex integro nouum ubiq; prælium ortum est, quippe quom utrimq; ad ueros milites qui & armorum genere & usu militiæ pares erant peruentum esset. Marianis militibus uictoriæ summa spes quod iam Lithuanos & Thartaros iã mercennarios milites fugauerant, hinc quod ex prælij usu necesse erat & dux & exercitus intrepide effecerunt, contra Polonis nõ minor partæ uictoriæ fiducia quod strage multo maxima Germani milites diminuti, fortunaq; seruati & superstites remissius certarent, Wladislaus ducis & militis optimi obibat officiũ, remotis in postremũ locum saucijs, & confertis aciebus nouum ubiq; prælium instaurauit. Quomq; ad septimam horam dubio marte pertinaciter utrinq; pugnatum esset/Germani cæsi fusiq;, undiq; Poloni numero superiores hostes circumsistere ubiq; fundere ceperunt, hinc in apertam fugam Mariani milites acti, Sarmatis cruenta quidem uictoria cessit. Fugiẽtes Germanos Poloni persequuti. Verum dum certaminis locum hominum strages & armorum uis ingens sanguinisq; tabes maxima compleuisset, & prope periculosius corporum aceruos transire quam hostem persequi foret, hinc plerisq; seruati, hostium castra direpta sunt, uini copia reperta. Rex ne fatigati milites potantes periculum facerent, uasa omnia confringere iussit. Eo prælio ceciderunt hostium 50 millia ut Polonorum habent historiæ, in quibus ex ordine Conradus de Iungingen qui tunc Magistratum gessit. cæterum uiri nobiles & Comendatores ferme sexcenti periere. Duo duces capti, Kasimirus Stetineñ & Conradus albus Olesniceñ. Præterea omnium nationum qui fratribus auxiliati sunt milites capti. Altera die singuli seorsum præsentati fuere. Ex auxiliarijs Australes/Bauari/Sueui/Frãcones/Renẽses/Frisieñ/Vestphali/Lusaceñ/Pomerani, Saxones, & Misnenses. Ex mercennarijs militibus Bohemi Slesitæ & Morauí numero sane plurimi, Sociorum uero Liuonitæ & Culmenses, demum ipsius ordinis fratres adducti fuere, milites iuramẽto obstricti dimissi. Duces & ordinis fratres in custodia seruati. Sarmatarũ quoq; & sociorum obscuræ turbæ ingens uis cœsa est. Duces uero uel quibus auctoritas in regno erat paucos cœsos referunt, atq; ita se summi prælij negocium cũ Prutenis habuit. Prouincia ferme tota fortunam sequuta uictori se dedit, præter Mariemburgum & quædam alia. Pugnatum est & posthac ubi Polonis uictoria cessit, uario deinde euentu res gestæ, in annum 1411, quo inter regem & Alexandrũ fratrem pacis conditiones ordini datæ, resq; firmatæ sunt.

Insignis Polonorũ uictoria.

Conradus de Iungingen Mgr [illegible]

1411

Eo quoq; anno

Eo quoq; anno die quæ diuæ Katharinæ sacra est, Wladislaus ex Nepolomi/
tio tribus millibus passuũ Graccouiam ingressus, signa militaria & quod ad
triumphum attineret ad diui Stanislai tumulum obtulit. Ridebam ego face/
tam in proximis Sigismundi regis nuptijs mihi iniectam a Marchiano milite
quæstionem, Is enim cum me Germanum cognouisset, uarios Polonorũ mo/
res a me scrutatus est, fere omnia illi placuere, præter domorum humilia ædi
ficia, & hoc, summi quandoq; odij causam futurã fore astruebat, quod in tem/
plis uidisset / Marianorum olim cœsorum militum crines atq; barbas certis
hastis ad diui Stanislai tumulum affixas apparere, Verum ego q; Thartaro/
rum signa essent & caudæ, quæ Thurcarum Thartarorũq; imperatorũ atq;
ducũ eqrum collis affigũtur ex partis uictorijs sicuti cæterarũ gentium signa
affixa fuisse, ut res habent, docui, & animo a me pacato dimisi. Iam ego nihil
gestorum Wladislai describam, postq̃ hanc supmam cunctisq; sæculis memo
randam pugnã hic adscripsi, ad alia calamus progreditur. Anna regina mor/

III. uxor Vladislai e domo Piliceñ.

tua unica Heduigi filia relicta. Wladislaus anno salutis 1416 tertiã accepit
coniugem Elizabeth ex Pilecensiũ clara quidem familia, sed ætate spes pro/
lis adempta, quæ res ut senatui atq; plebi luctum fecit, ita mors illius quæ in
annum salutis 1419 incidit omnium animos lætificauit. Ea mortua Wladisla

IIII. coniunx Vladislai.

us ad quartum connubiũ per Senatum cohortatus, quom ex regni atq; omni
um commodo uideretur ex optimo principe bonum suscipere hæredem. Igi
tur sub anno 1422 Sophiam Kiouieñ ducis filiam Alexãdri ducis neptem in
regni sociam baptismate lotam suscepit. Ex ea itaq; Anno 1423 ultima Octo

Vladislaus primogenitus. Casimirus II. Casimirus III

bris filium primogenitum, deinde Wladislaum paterno nomine appellatũ
suscepit. Anno dehinc 1426 die 16 Maij Kazimirum secũdo genitum paulo/
post mortuum, & Anno salutis 1427 die penultima Nouembris Kazimirum
natu tertium ex eadem genitum suscepit. huius fœcunditatem Alexander Vi
towdus et si neptis esset magno dolore tulit, tanta erat dominandi libido, ut
cum is a Wladislai prole sibi suisq; posteris Lithuaniæ dominia successionis
iure præripi cerneret, nõ dubitaret etiam multis execrationibus nepti male/
dicere. Wladislaus ætate rerumq; gestarum gloria plenus uitam senex fini/

Excessus Vladislai.

uit in templo arcis Graccouieñ sepultus est. Mors eius incidit in annum do/
mini Millesimum Quadringentesimum trigesimum quartum. Princeps he/
roicis uirtutibus summe clarus, cuius egregia gesta Dñs Miechouieñ luculen
ter narrauit, regnauit apud Polonos post interregnum septimo, & eorum qui
ab initio quadragesimo loco.

Vladislaus Iunior.

WLADISLAO humanis absumpto Wladislaus Iunior, natu maior, Sena/
tus assensu puer ad regni solium eodem anno mense Iulio assumptus est. hic
donec adoleuit, regnum ex Senatus sententia administrauit, primis initijs pa/
ternæ laudis spem pollicitus, Infœlici omine ad Hungariæ regnum postula/
tus est, quod non sine difficultate atq; negocio & inuitis Polonis adeptus, An

Infelix Vladis. in Turcũ expeditio.

no salutis 1443 contra Amurathem Thurcarum imperatorem exercitum du
xit unoq; prælio fœliciter pugnauit, ex ea uictoria nominis atq; fortunæ fama
aucta, omnium ferme gentium persuasionibus ad secundam in Thurcas expe
ditionem animatus est. Quam dũ inuitis Sarmatis pararet, Imperator Thur/
carum missis

carum missis legatis pacisq; cōditionibus expositis in decennium fœdus inijt, quod paulo post a Thurco quidem ratum, ab Wladislao Iuliani Cardinalis suasu contra ius gentium uiolatum & Secunda in Thurcas expeditio effectū sortita est, in ea apud Varnam pugnans ab Amuratha Anno 1444 acie uictus nusq̄ amplius in terris uiuus neq; mortuus apparuit, impauit Sarmatis & Polonis octauo post interregnū, ab initio Quadragesimoprimo loco. Huius ego optimi principis prima ætate egregia facinora, in Hungariæ regnūeuectionē uariosq; rerum sub eo euentus multis uerbis expedirem, nisi dn̄s Miechouien̄ omnia quæ domi atq; foris gessit diligenter absoluisset. Ac ad hæc Philippus Callimachus Geminianus uir magni cōsilij, apud Sarmatiæ reges in præcio habitus, Wladislai historiam suo stilo cōscripsisset. ea nuper apud Augustam Vindelicorum excusa in lucem prodijt. In qua lector eius regis inter spem & metum periculum atq; gloriam multamq; in humanis rebus fallentis fortunæ mutationem esse intelliget. hæc duo (& merito) narrationis mihi ordinem turbarunt.

Clades Varnen̄. 1444

P. Callimachi historia.

AD DIVOS WLADISLAO assumpto, erant qui regnū Poloniæ Branděburgen̄ Marchioni deferrent. Qui princeps uirtutibus clarus delatum sibi regnum spreuit, ac ad Kazimirum illud iusto iure pertinere docuit. Verū Senatus cum Wladislai interitū cognosceret comitia egit, uarijs datis hinc inde sententijs Wladislai Iagellonis studiū & rerum gestarum memoria simul & periculi moles uicere. Kazimirus igitur omniū assensu in regē postulatus est, quom uero apud Lithuanos moram faceret, denuo comitijs apud Piotrkouiā habitis in diebus Martij Boleslaus Mazouiæ princeps in regem electus est. Hæc dum Kazimiro palam fiunt electioni nuper de se factæ cōsensit, properēq; in Poloniam uenit. Anno salutis Millesimo Quadringentesimo quadragesimo septimo die 25 Iunij regium diadema Craccouiæ maiorum more suscepit. Is in regni sociam Inclytā Elizabet uirginem olim Alberti Romanorū Hungariæ & Boemiæ regis ac ducis Austriæ filiā, Ladislai Hungariæ & Boemiæ regis sororem asciuit. Erroneum itaq; est Francisci Irenici comentū q in Genealogia ducum Austriæ ponit, Alberti huius filiam Elizabet, ducis Saxoniæ fuisse uxorem. Inciderunt hæc in annum salutis 1454. Huic Kazimiro cū ordine Teuthonicorum annis ferme quatuordecim sæpius alternante fortuna uaria bella fuere, donec illos longa belli mora conturbasset, & uniuersam Prussiam quæ hodie Polonis paret adeptus est. Magistrum ordinemq; Sarmatum ditioni ex pacto subiecit. In supremo rerū discrimine ordo pacem necessariam cum Kazimiro fecit, cuius series ab alijs traditur.

Casimirus rex

Elizabet uxor Casimiri.

Irenici error.

KASimirus hanc inclytā suscepit Ex Elizabet unica consorte prolem.

Casimiri sobo les.

Wladislaum natu maiorem	Anno 1456 die prima Martij.
Kasimirū natu secundum prolem 3	Anno 1458 die tertia Octobris.
Ioannē Albertū tertiū natu prolem 4	Anno 1460 die 27 Decembr.
Alexandrū natu quartū prolem 5	Anno 1461 die 5 Augusti

Hic mihi non satis constat si nō deuio incedo itinere, eo quod a proximo partu ad. 5. Augusti non nisi ducenti uiginti dies intermedij sint.

Sigismundū natu quintū prolem 8	Anno 1467 die prima Ianuarij.

Federicū sextum

Federicum sextũ natu prolem 9 Anno 1468 die 27 Aprilis.
Heduigim filiam primã prolem 2 Anno 1457 die 27 Septembris.
Sophiam filiã secundã prolem 6 Anno 1464 die 6 Maij
Elizabet filiam tertiã prolem 7 Anno 1465 die 9 Maij
Elizabet filiã quartã prolem 10 Anno 1472 die 13 Maij.
Annam filiã quintã prolẽ undecimã Anno 1476 die 12 Martij.
Barbarã filiã sextã pro. duodecimã Anno 1478 die 15 Iulij.
Elizabet filiã septimã pro. tredeci. Anno die 13 Nouembris.

Hæc generalis Kasimiri atq; Elizabeth fœcundorum parentum inclyta proles, quæ & ipsa multiplicata in fœcundam illustremq; creuit progeniem. Kasimirus his relictis hæredibus atq; successoribus, princeps uirtutibus redimitus pace domi, et foris bello clarus postq̃ Sarmatis & Polonis 45 annis imperasset uitam cum morte commutauit, eius ad superos migratio in annum ab orbe redempto Millesimum Quadringentesimum nonagesimum secundum, diem septimam Iunij in Lithuania incidit. Graccouiam deinde relatus & honore regio reconditus est. Regnauit apud Polonos post interregnum nono et eorum qui ab initio quadragesimo secundo loco. Iam negocium postulat Iacobi Philippi Bergomensis explodere errores, qui ex prima Wladislai Iagellonis coniuge, eo quod matrimonium illud haud fuerit legittimum nullam susceptam prolem asserit, sed quod ex secunda sene ac nonagenaria Latislaum & Kazimirum duos susceperit filios, hic sibi quod parum filiorum nominibus quos Latislaum & Kazimirum appellat erratum sit culpa forte nulla est pro Wladislao Latislaum adscribere, quom hæc sibi (ut externa nomina) parum fuerint cognita. Verum quod Nonagenaria peperit non constat nouissimis his ætatibus exhaustis iam hominum uiribus unq̃ contigisse. At quom Bergomeñ sublectum aliunde sit, Wladislaum annosam habuisse coniugem ex ea prolem hanc suscepisse illi persuasum crediderim, Tu uero mecum bene sentias lector, secundam Wladislai consortem Comitis Ciliæ Annam fuisse uirginem, Annosam uero terciam, ex qua ut antiquitate frigescente nullã suscepit prolem. Quartam deinde Græci ritus Sophiam in quarto gradu sibi iunctam asciuisse. Ex ea itaq; tres filios sustulit quorum primus Wladislaus, Secundus & tertius uterq; Kazimirus appellati sunt. Absumpto uero Wladislao primo, Wladislaus iunior in Poloniæ regnum successit, ad Hungariæ quoq; sceptra euocatus in Varneñ pugna occubuit, Bohemis uero ut Bergomeñ libro secundo tradit nunq̃ imperauit, hæc tibi cognita esse uolui.

Bergomatis errores.

AD SVPEROS Kazimiro principe, tum uirtutibus tum rerum gestarum memoria clarissimo relato Comitia Senatus consulto apud Piotrkouiam habita, Ioannes Albertus ad remp. tutandam in regem assumptus est. Fuere tũc qui (anteq̃ uniuersorum animi in Albertum eueherentur) Sigismundi principis res intrepide tuerentur. At regina quod ad remp. attinet fideliter persuasit, & de Sigismũdo ceptũ mitigauit, ita Albertus rerum sine discrimine potitus est. Ad cuius gesta anteq̃ calamum dirigam locus postulare uidetur Wladislai natu maioris percensere memoriam. Wladislaus Kazimiri primogenitus, Mortuo Georgio Bohemorum rege heretico, ad Bohemiæ regni solium euocatus, coronã

Ioannes Albertus Rex Pol.

Vladislaus rex Bohemiæ.

euocatus/coronam obtinuit. Incidit hoc in annum salutis 1471. Ab eo tempore ad mortē Matthiæ regis Hungariæ, quæ in annū salutis 1490 die 5 mensis Aprilis incidit Wladislaus Boemis imperauit. Ab initio dum adolescens uicz in regnū assumptus uanitates execrandas nuperq; admissos cultus atq; religionum præstigia uel abrogare non ualet uel nō curat, sub eius regno hoc malum adeo multiplicatum est, ut passim longo usu & ex senatu & ex plebeis nō desint, qui erroneam doctrinam pro religione optima prohdolor tueantur. Hoc in loco si permissum esset/nō nihil ex usu rei adscribi posset, at dū uel ex professione uel officij ordine non sit calamū consultus refrenare statui. Vnū lubet omnino addere/me quintūdecimū ætatis annū in Morauia agēte uir sacrarū lrarū apprime doctus Georgius Kolerius diui Dominici sectator, & Bohemiæ tunc (ut uocant illi) Prouincialis/in doctorum uirorū cetu hæc contristato retulit animo. Dum fuissem (inquit) proximis annis Romam accinctus, res fidei & cōditiones ad sūmi Romani præsulis obedientiā redeūdi ab his qui in repub. Boemiæ præsunt, mihi certis cōditionibus creditæ fuere. Legatione quasi usus, summa spe Romam ingressus/Oliuerium Hostieñ ex patrum ordine conueni, creditam prouinciam publicaui, futurum esse si Pontifex summus, patrum assensu, Bohemos ad ecclesiæ unitatem, non ademptis nuper per uim abactis ecclesiæ bonis, susciperet, ut abiectis uanis erroribus, uniuersum Bohemiæ regnum, ad uerum fidei cultum ac religionem, maximo reip. Christianæ comodo rediret, docui. tum quoq; probis argumentis Bohemiæ admissionem Romanæ ecclesiæ ex usu fore exposui. Oliuerius ad Pontificem & patres rem detulit. fuere tunc sicuti in cæteris rebus uti diuersi animi ita dispares sententiæ, non defuere ex patribus & ipse Pontifex qui rem haud aspernandam rati, suscipiendos putarent, pro temporaneo bono non tot animas perdendas, quom enim parentibus absumptis per lineas hereditatis in uarias abijssent manus, difficulter restitutionem fieri posse, quinetiam breui futurum esse ut pietate religionis permoti ecclesias sua sponte restituerent. Contra fuere qui nulla re persuaderi poterant, quin pertinaciter atq; intrepide negocium inficiarentur. Verum esse admisere pro nullo unq̄ bono animas fore perdēdas. At quom hac in re uniuersæ reip. Christianæ integritas dependeret, considerandum esse quod de Bohemis nūc decerneretur, proxime de alijs quoq; gentibus futurū fore, quæ ab his sumpto exemplo, rem ecclesiæ spe futuræ ueniæ inuaderēt, tūc quoq; ex Germanis principibus Reni qui res monasteriorū contra æquitatem turbarent, nuper ad Pontificem a uiolatis delati sunt, atq; ita ne per licentiam ecclesia omnium manibus impune exposita foret, sine restitutione suscipiendos non esse. Vicit proh dolor horū sententia, et postulatio sine spe reiecta est. Hæc ego quasi puer a doctissimo uiro accepi. Sed res summi Senatus iudicio subiecta esto, Bohemia inclytum regnum, quod hominum proceritate ac numero, armorum usu, diuitiarum copia & splendore, rerumq; omnium abundantia, nulli unq̄ cessit regno, quondam negligentia ambitione & superbia cleri ut illi astruunt a fide lapsum, in sacerdotes negociū sumpsit, exutosq; rebus ultro regno expulit, his conditionibus tunc assummi non potuit, quod assumptū, in hanc ætatem, rite religionem obseruantibus

Matthię Regis Hūgarię mors 1490

Bohemica secta.

Georgius Colerius.

nem obseruatibus, multo plura pietate & obseruantia religionis indubie contulisset. Ea enim gens in deum, sacra templa, & patriæ ornamenta, semper fuit intenta. q̄q̄ nunc quoq; futurum spero Boemos in tutanda republica Christiana, quom necessitas adegerit, non postremos fore, qui multis antea ætatibus pro fide catholica intrepide militarunt. Hæc hactenus adscribere placuit. Mortuo Hungariæ rege Matthia Senatus Hungariæ reginæ Beatrici fidem fecisse perhibetur futurum regem non nisi ex assensu suo suscipere. Tum uero Maximilianus Romanorum rex regnum, ex pacto cum patre assumpto postulat. Remq; armis primis initijs prospere tentauit. Potuissetq; ille si Beatricis connubium placuisset regnum tunc citra controuersiam obtinere, uerū dum ille Ioannis Galeacij Mediolani ducis sororem, quæ nuper Ioanni Duci Matthie regis filio in manus Ioannis Waradiensis Episcopi postea monachi certis conditionibus desponsata erat, postulasset, Beatricis etiam mores aspernaretur, re infecta discessit. Animatus ab eo est Ioãnes Albertus Kasimiri tertio natus, ut regnū armis impeteret, missurum se illi suppetias promisit, hæc postea in rebus Ioãnis Alberti dicentur, interim anteaq̄ Maximilianus armis regnum inuasisset, Ioannes Waradieñ Episcopus Wladislaum Beatricis iussu ad regnum sollicitauit qui Posonium ueniens Maximiliani copijs impar redire statuit. Ferebatur tunc Georgium ducem Bauariæ Wladislai affinem, aut Maximilianum ad reditum persuasisse, aut in Wladislai gratiam Germanicū exercitum cuius ipse summus erat imperator rege inuito reduxisse. Verum magis aparet affluentia prædæ exercitum pergere recusasse, quā Georgij ducis perfidia effectum esse. Alba enim regali capta, ingētiq; præda e direptione militari manu ablata, contra Maximiliani edictum postulatis etiam deinceps ad supplicium quibusdam dilapsum exercitū certo credendum est. Vtcumq; factum Maximilianus redijt, & Wladislaus reginæ assensu sub spe futuri cōnubij admissus est, quo tamen illa postea frustrata regno excessit. Romæ rem tentauit, sed pecunijs uacata in patria sua mortua est. Regnum consequutus Wladislaus Hungaris atq; Bohemis pace magis q̄ bello imperauit, sine regni consorte usq; in annū 1502 diem 29 Septembris res tutatus. Eo die Anna Illustris uirgo ex Gallia adducta, in reginā coronata est, deinceps rempublicam utriusq; regni pace tutatus, in annum ab orbe redempto 1516 diē Iouis 13 mensis Martij reip. Hungariæ præfuit, Budæ eo die mortuus, Bohemis annis 44 mensibus octo, Hungaris uero annis uiginti sex imperauit. Princeps omni ætate pacem diligens Ludouicum unicum filiū Hungariæ & Boemiæ eo uiuente coronatū regem, de quo nunc infra scribendū erit, unicā etiā filiā Annam uirginē in Maximiliani Cæs. tutela tunc apud Aenipotentem agētem, reliquit, sed de ea quoq; suo loco sermo erit. Operæ precium hoc in loco erit Volaterrani assertionem (ne ita ad posteros erronea pergat) explodere, qui in Geographia sua capite de Boemia circa finem hæc uerba adscripsit, hoc extincto (uidelicet Ladislao Alberti Romanorum Hungariæ & Bohemiæ regis filio,) pars Kazimirum Kazimiri Poloniæ regis filium iure affinitatis, quod sororem suam Georgius duxerat, pars uero Matthiam Pannoniæ regem legerunt. Tandem Georgium Pogebratium regno præfecere. Et

Maximiliani R. in Hungariā motus.

Vladislaus R. Hungariæ.

Mors Wladislai Hungariae et Bohemiae regis

Volaterrani error.

parum infra

parum infra post Georgij mortem, ad Wladislaum Kazimiri fratrem, Poloniæ regem, res Bohemica peruenit, deinde ad Ioannem Albertum, postremo ad Alexandrum, qui dum hæc proderem uiuebat. Et de Bohemia quidem satis. Infra item in capite de rebus Polonicis absoluens res Wladislai Iagellonis hæc inseruit. Ex secundo matrimonio duos genuit liberos Wladislaum et Kazimirum, quorum Wladislaus maior natu patri defuncto successit. Is ille qui post ad Pannoniæ regnum uocatus est, qui in clade Varnensi, una cum Iuliano Cæsarino legato, contra Amurathem Thurcam pugnans extinctus est. Kazimirus alter frater, qui Lithuaniã ex hæreditate acceperat, Poloniæ fratri successit. Is demum habuit liberos, Wladislaum qui Poloniæ rex, ac post Matthiæ regis mortem a Pannonijs accersitus est. Kazimirum de quo mox dicam, Ioannem Albertum qui Bohemiæ Poloniæq; successit, Alexandrum qui Lithuaniam primo, postremo Ioanne Alberto nuper defuncto utrunq; regnum obtinuit. hactenus uerba Volaterrani sunt. Tu lector optime, animo sedato hos libris tuis pellas errores, atq; ego, ut res ipsa habet (fidem modo mihi facias oro) te admonebo. Ex secundo matrimonio Wladislaum prolem habuisse asserere ueniam habet, Nam Bergomatem sequutus hæc tradidit. Ego eam assertionẽ suo loco nuper repressi. sequitur Ladislao extincto & cætera, Apud Bohemos Georgius Pogebratius mox successit, nemine etiam ad regnum postulato, Matthias enim ut apud omnes est scriptores apud Georgium in uinculis erat, Kazimirus nullus postulari potuit. Nam si de Kazimiro Wladislai Iagellonis filio uelit intelligi, esse nõ potest, quia is nullam sororem unq̃ habuit, itaq; Georgius eam ducere non potuit. Si autem Cazimirũ Cazimiri filium Volaterranus intelligit uti adscribit, ita se res nõ habet, nam Ladislao extincto Cazimirus Cazimiri tertia proles in rerum natura nõdum fuit, ita nec sororem habere nec ad regnum postulari potuit. Incidit enim Ladislai mors apud Pragam sub anno 1457 in diebus Nouembris, Cazimirus uero Cazimiri filius sub anno 1458 die 3 Octobr. natus est, ut supra adscripsi. Ergo hæc extra ueritatem sic narrantur. Subdit, Post Georgij mortẽ ad Wladislaum Cazimiri fratrem Poloniæ regem, res Bohemica peruenit, Si hoc de Wladislao rege Poloniæ apud Varnam uicto uelit intelligi, error magnus comperitur, Varnensis enim clades postq̃ Wladislaus in terris uisus non est In annum ab orbe redempto 1444 incidit. At Georgij mors post hæc anno 1471 sequuta. Hæc itaq; ad Wladislaum hunc minime pertinent. Nunc item si de Wladislao Cazimiri fratre (qui Cazimiri filius erat) intelligi mauult, pari ratione esse non potest. Is enim Poloniæ sceptra nunq̃ obtinuit. Est is quidẽ ad res Bohemicas anno 1471 assumptus, sed in paternum regnum nunq̃ euectus. Subdit infra, deinde ad Ioannem Albertum, postremo ad Alexandrum qui dum hæc proderem uiuebat. quam aliena sint hæc, tu lector ex te ipso accipere uales, si Wladislaum in annum 1516 superstitem fuisse, Albertum uero 1501 die 17 Iunij, & Alexandrum 1507 die 19 Augusti (uti infra adscribetur) e uita sublatos esse memineris, ea lege Bohemiæ regnum uiuente Wladislao obtinere nõ potuisse. adde q; in recenti hominũ memoria est, neq; hunc neq; illum res Bohemorũ unq̃ habuisse. Superstes quidem Wladislaus erat dum

Ladislai Hũgariç & Boemiç Regis mors.

dñs Volaterranus Geographiam suam excriberet, sed in Pannoniæ & Bohẽmiæ regnis, Alexander uero in Poloniæ solio regnauit. hæc dum candidus lector percipiet, totam de Poloniæ rebus assertionem, quæ ad Boemicam successionem pertinet, per se mox erroneam iudicabit atq; excludet. hæc magni atq; docti hominis uenia, non liuore adductus inserui, ne dum apud diuersos diuersa lectio reperiatur, lector dubijs irretitus opinionibus periclitetur.

Ludouicus rex Hungariæ. Natiuitas Ludouici

LVDOuicus Wladislai ex Anna coniuge Galla anno salutis 1506 die prima Iulij quæ dies Mercurij erat paruo interuallo ante meridiẽ natus, uiuẽte adhuc patre, in ipsis quasi cunabulis, sub anno 1508, die 4 Iunij, apud Albam regalẽ, per Thomam Archiepiscopum Strigonieñ Cardinalem, coronatus & rex salutatus est. Anno deinde 1509, die undecima Martij, apud Pragam Senatus & populi assensu, diademate per Stanislaum & Ioannem fratres Thurzones Olomuceñ & Wratislauieñ Episcopos imposito, Bohemiæ regnum obtinuit. ab eo tempore ad annum 1516 quo parentis mors incidit res apud patrem manserunt. Ludouico uero sub anno 1515 diebus Iulij, In Cæsaris & regũ Viennæ cõuentu, Maria Philippi Hispaniarum &c. Regis archiducis Austriæ filia, natu ultima, in matrimonium est tradita, quæ tamen ad utriusq; adultam ætatem apud Cæsarem tutanda remansit. mortuo Wladislao Ludouicus utriusq; regni rerum potitus in hanc ætatem fœliciter præfuit, puer a cunabulis heroicum principem pollicitus, optimis disciplinis instructus, uariarũ nationũ linguas in prima iam ætate expedite loquitur, corde magnanimus, corpore agilis, & ingenio docilis, Eum regem pollicetur, qui collapsas regni res breui & possit & uelit restituere, huic Maria soror Caroli mense Iunio 1521 aduecta fuit in Hungariam, nuptiales tamen epulæ & eius coronatio tum propter ætatem utriusq; cum etiã propter Thurcarum in Hungariã maximã eruptionem tunc nõ potuere sortiri effectum. Ego ne externarum gentiũ negocia agere uidear, res Ludouici, sicut omnium aliorum parcius describere uolui, satis enim mihi uisum est, quod ex Poloniæ regibus Ludouicum prognatum docui, facturus identidem de cæteris, qui ex Poloniæ regibus egressi, in alienam nationem abiere. fœlix atq; faustum illi deus opti. maximusq; initium tribuat, ut sumpto animo Tyrannos pellat, regnum inclytum restituat, pace domi res tueatur & maiorũm fortissimorũ regum exemplo foris bello Christianæ reipublicæ hostem intrepide arceat, hactenus de Ludouico.

Coronatio regis Ludouici

Viennen. Conuentus.

Maria soror Caroli

Anna Lud. Re. soror. Nata

ANNA reginula Wladislai regis prĩa proles sub ãno 1503, die 23 Iunij nata, pudicissimis moribus, sublata etiam matre in annum 1515 educata est, Eo aũt anno Viennam a patre ducta, Maximiliano Cæsari (ut alterum ex nepotibus maritum sortiretur) sub tutela relicta, in Aenipontem posthac cum Maria fratris futura consorte, ducta uirgo supra q̃ humanum est, omnium hominum animos spe euehebat, ut uirgo Senatus atq; populi decreto, ab initio in Germaniam aduentus qui fœlix atq; faustus sit, in hanc ætatem non nisi imperatrix fuerit appellata, uirtutes singulari formositate decorans, & formositatem optimis redimens uirtutibus, his dotibus beata, etiam si humili loco nata fuisset. summum orbis terrarum principem habere consortem omniũ ora digna censetur, hæc in Aenipone simul cum Maria Caroli sorore adseruata

fuit usq; in annũ

fuit usque in annum 1521. Eo anno Ferdinando Caroli fratre nupta est, nuptiis in Lincio oppido supra Anasum modica quidem pompa celebratis.

IAm ad KAzimirũ ducẽ calamus pergit. Hic princeps omnibus uirtutibus redimitus, nihil in uita plusq̃ iustitiam æquitatẽ & continentiã coluit, uirginitatis munus ad mortem usque custodiuit. Cæterum ita se in omnibus rebus gessit, ut eo uiuente appareret, quod sublato clarissimis miraculis comprobatũ est. Obijt in Lithuania, apud Wilnam conditus, anno salutis 1483 in Februario migrans ad deum, in beatorum numerum relatus est, claruit in hanc ætatem multis miraculis. Eximium profecto huius inclytæ familiæ decus, quom principum heroumque copia alioqui sit aucta, etiam ex ea non desint, qui apud deum optimum maximum, uel ex officio fraternæ charitatis uel patriæ studio res tueantur. Kasimirus dux

NVNC AD IOANNEM ALBERTum, qui patre sublato regnum adeptus est redeundum erit. Hic uiuente patre legiones in Hungariam, euocante Maximiliano, regni flagrante cupiditate permotus duxit, Verum dũ Maximilianus suppetias non ferret, qui alibi Hungaris se negociũ facturum (ut Ioannes Albertus sine negocio rebus finem facere posset) pollicitus, his neglectis Albertus res cunctanter egit, quo cognito ab Hungaris qui iam Wladislaum susceperant, cũ quo etiam Albertus conuenerat, re tamen infecta discesserat, collectis copijs, Ioan. Albertũ duce Stephano Scepusiæ Comite adiere, quos si ille initio algoribus & inedia confectos inuasisset, sine negocio ad unũ delere potuisset, at dũ dato ocio uires per multos dies resumerent, interimque Poloni longa mora fessi & bellum ex nullo usu fastidirent, apud Apperiasiũ oppidum pugnatum est, ubi & si Albertus ducis ac militis optimi gesserit officium, ad extremum tamen ferme ultimus fugientes suos sequutus, equo prius multis uulneribus confosso uictus est. Hungariamque sic exiuit. mortuo deinde Cazimiro patre ad regnum uti supra narratur assumptus, Princeps singularis sapientiæ, audaciæ multæ, sed apud quem fortuna nullas posuisset sedes. Expeditionem unam in Valachos infœliciter fecit, de qua & alijs gestis eius apud D. Miechouien. regnauit post interregnum decimo & corum qui ab initio 43 loco, In Prussia sub anno 1501 die 17 Iunij apud Thoruniam apoplexia mortuus, Craccouiam relatus in tumulo pietate matris extructo requiescit. Dum hic remp. Sarmatiæ tueretur, Rgnum uarijs cladibus afflictũ est, uti in eius uita apud dominum Miechouien. est legere. Ad Ioan. Albertum redit.

IOANNE ALBERTO extincto, Successit illi Senatus assensu & naturæ ordine Alexander germanus. Qui patre Cazimiro absumpto a Lithuanis Mox apud Vilnam in Magnum Lithuaniæ ducem præfectus est. Quãdo uero huius dignitatis apicem ac munus accepit, hæc uerba a Lithauer, eiusdem ducatus Marschalco, omnium procerum iussu ac consensu, stricto ense dicta fuisse mihi relatum est. Accipe princeps clarissime quẽ nobis ducem præfecimus ensem, & integrum in nos imperium atque Lithuanis præesse memineris, quod si animus tibi fuerit strenuus, erit hic ducatus singulis Europæ imperijs, Regnis, seu principatibus comparandus, modo tu ambabus manibus nobis præesse studeas, altera frameam, altera gratiam semper gestans, hoc est Alexander rex

verba Lithauer in inaugurando duce Lithuaniæ.

 male facta

rum festucam cernere, & propriam nescire trabem, a longo interuallo errare plus ueniã habet. Verum quæ supra hominum memoriã ab authore suorum temporum ignaro narrantur, fidem non habent, itaq; ignoscendum illi quod in rebus supra multas ætates gestis errauit, quom quæ hodie ad manum sunt non perfecte cognouerit.

Albertus Magister Prussiæ. ALBERtus tertius Federici filius, fratrũ Teuthonicorũ in Prussia magistratum obtinet, Is hoc in loco nullum mihi faciet negocium, quod operæprecciũ erit non nihil suarum rerum libro tercio in Sigismundi gestis adscribere. Euectus est hic ad ordinis magisteriũ Regis atq; senatus Poloniæ assensu, tenuit utrinq; spes pacis nationũ tunc animos, sed in hanc tamen ætatem futuri periculi initia quæruntur, de quo posthac mihi scribendum ueniet.

Ioannes Marchio Brand. IOANNES quartus Federici filius, princeps omni dignus laude, Carolum in Hispanias comitatus, mortuo Ferdinãdo Rege Arragonũ, relictam illius coniugẽ obtinuit uxorẽ. Hac ætate apud Carolum in obsequijs ipse manet.

Guilhelmus. Federicus. Ioan. Albert⁹. Gumpertus. FEDERicus quintus filius præposituram Herbipolẽ obtinet, GVILHELMVS dum hæc scriberem apud Albertum fratrem in Prussia agebat. IOannes Albertus & GVMbertus iuuenes adhuc annis, Statura uero ac moribus principes omnium excellentissimi, hac ætate apud Romanum agunt Pontificem inter eius Camerarios (ut illi uocant) adnumerati. MARgaretha filia prima apud Casimirum fratrem agit.

ELIsabeth secunda, morte absumta, Marchioni Badeñ nupserat.

SOphia inter filias tercia sub anno 1518 Federico Legniceñ duci, q nuper Elizabeth Sigismũdi sororẽ habuit in uxorẽ, Romani pontificis indulto nupsit.

ANNA quarta Federici filia, Eodem anno Wlatislao Casimiri Thessineñ ducis, filio matrimonio accessit, utrumq; connubiũ nuper in Sigismundi cum BOna nuptijs conclusum fuit, & paulopost ut pactum fuerat, finem accepit.

BARbara in hanc diem apud Casimirum agit.

Elizabeth III. & IIII. puellę impuberes mortuę. ELIZABETH INTER FILIAS CASimiri regis tertia uirgo ante adultam ætatem humanis excessit.

Ea quoq; lege Elizabeth quarto loco inter filias nata absumpta est.

Anna Pomeranię Ducissa. ANNA AVTEM QVINTVM FILIARVM LOCVM OCCVPANS BOGVSLAO Pomeraniæ principi sociata erat. Hic necesse foret intermisso negotio ad unius hominis laudem descendere, nisi me quod Germanicis rebus uti nũc alienis nõ plus iusto uacandũ esse tempus admoneret.

Boguslai Pome. ducis encomium. BOGVSLai etiam laudes non paucis stringendæ litteris ab incœpto deterrerent, Interim unum hoc his inserere lubet, Hunc principem, uti sua ætate multos Regulos ingenio atq; corporis præstantia, ita & animi magnitudine summis adactũ periculis uicisse. Satius unius erit perpetuæ memoriæ dignæ meminisse laudis. Nam dũ hic princeps (uti heroibus mos est) ex patria Hierosolymã se recepisset, & Venetiarum urbem triremi prætergressus, a Barba

Eiusdẽ uirtus in pugna nauali. ris marithò prælio turbatus esset, socijs (uti qui marinam pugnam perhorrescerent) trepidantibus, rerũ se ducem fecit, Excelso animo, inuicta manu Barbarorum naues repressit, se sociosq; non modo periculi metu subtraxit, Verũ etiam memoriam ad posteros maxime longam transmisit, semiexustam triremem in alterã

mem in alteram prægrauatam partem marinis fluctibus reducens saluauit. Cuius rei memoriam in hanc ætatem Veneta urbs, cum maxima principis gloria retinet. Huic Anna coniunx accessit, hancq; prolem supra annos circiter sexdecim moriens Georgium/Casimirũ/Bernam filios, Annam/Sophiam et Elizabet filias reliquit. Georgius natu maior ante annos ferme sex Philippi olim Reni Palatini filiam/Ludouici principis qui hodie res tutatur sororem Aemiliam/duxit uxorem. Ex ea accepit Boguslaum filium in cunabulis mortuum, Philippum & Margaretham utramq; prolem superstitem habet. Cazimirus uigesimum quartum forte agens annum tertio abhinc anno defunctus est. Bernas princeps iuuenis litterarum studio flagrans hanc ætatẽ litteris addixit. Anna filia Georgio Bregeñ, Sophia Holsteñ ducibus nupserunt, Elizabeth uirgo immatura ætate uita sublata est, atq; hæc Annæ in Pomerania proles habetur.

Barbara Cazimiri sexta filia duodecima uero proles anno salutis Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo sexto in diebus Octobris Georgio Saxoniæ duci nupsit, ex qua is hanc suscepit prolem, Christophorum Ioãnem sub 1498 die 24 Iulij hora quasi septima post meridiẽ natũ, Christophorũ, anno 1501 die 25 Februarij genitũ, Federicũ anno 1504 die Martij natũ. Annã Agnetã, Margaritham, Christinam, & Magdalenã. Christophorus primogenitus, item Christophorus tertio natus humanis sublati. Ioannes uero princeps a teneris unguiculis bonis litteris institutus sub Iacobo Emser erudito preceptore supra q̃ hodie principibus mos est doctus euasit. huic Guilhelmi Hassiæ Landtgrauij filia nupsit. Princeps qui Germaniæ decus hodie pollicetur. Federicus autem apud parentes cum hæc scriberem degebat. — *Barbara Ducissa Saxoniæ* — *Barbaræ soboles.*

ANNA Agnes Margaretha iam primũ humanis uirgines excesserũt. Christina atq; Magdalena uirgines dum hæc scribo apud parentes agunt. Sarmatiæ itaq; & Poloniæ regis filia Barbara est, & non de Bohemia uti Irenicus astruit, sic se Barbaræ in Saxonia sobolis res hactenus habuere.

ELIZABET filia septima Cazimiri uero ultima proles anno 1515 in Nouembri Federico Legnitio duci nupsit, anno deinde 1517 filiam Heduigim enixa, qua paulopost e uita sublata & ipsa mortem opetijt. hæc de Elizabet adscribuntur. Ad omnem uero Kazimiri prolem cognoscendam quæ sub breui narratione exposui hæc satis erũt. Nam uniuersa (usq; ad Sigismundũ regẽ atq; Barbaram Saxoniæ ducis Georgij consortẽ) e uita migrauit. Fœlix beataq; soboles, quæ hac hominũ ætate nulli regum neq; principũ tam fœcunda atq; inclyta a deo optimo maximo data est, uiris supra corporis proceritatẽ, quæ singulis speciosa fuit, ad res diuersissimas strenue agendas nunq̃ ingeniũ defuit. In pace plus etiam q̃ oportet iusti atq; humani. Bello consilijs uiribus & armis ualuere, latinis litteris (ut quondã sũmis ducibus mos erat, sed hac ætate apud principes non est in usu) in uniuersum eruditi, qđ supremæ uirtutis munus est nihil supra Christianæ religionis pietatẽ unq̃ coluerũt. Tũ fœmineus sexus plusq̃ fragilis illa sustinet natura uirtutibus redimitus, externis nationibus gratus, maritis fidẽ seruauit, multa ꝓle clarissimos principes fecit parẽtes. Hactenus ab Olgerdi tpibus in hãc ætatẽ Iagellonũ soboles in multas postea augenda stirpes ita mihi enarrata hoc modo se habuit. — *Elizabet Ducissa Legniceñ.* — *Prolis uniuersæ felicitas.*

QVANDO IAM VNIVERSAM IAGELLONVM FAmiliam ac inclytam sobolem per catalogum enarraui, placuit omnes ferme personas ab illis progenitas, atq; per affinitatē adscitas, ad meliorem cognitionem in arbore depingere. Quæ ut recte iusteq; fieret, non paruum mihi fecit negocium, quanquā nec dum adeo est ad unguem absoluta, ut omnia compræhendat. Verum summa mihi cura fuit, ut quam uerissime depingeretur. Sunt in ea personæ aliquæ uel neglectæ, uel obmissæ, quæ in catalogo tamē continentur, partim quod in cunabulis humanis excesserant, ptim etiā quod post depictā iam arborē quædā genitæ sint, causa fuit, utrumq; spero candido lectori satisfacturum, si primum parum historiæ nostræ addere, secundum uero tunc absolutum esse, quando ad decimiseptimi anni supra M.D. ab orbe saluato initia historiam meā dumtaxat pertingere, meminerit. SIGISMVNDVM uero Augustum, SIGismundi Regis primogenitum, Anno M.D.XX. Kalendis Augusti natum, peculiari tabula effigiatum quidem legittime adpingere placuit Ad hæc in alteram paginæ partē BOnæ quoq; Reginæ effigiē addere uisum est. Hæc utcumq; sunt, tu candide lector boni consules, & ualebis.

Sigismundi Natiuitas 1520

01



IN SIGISMVNDI AVGVSTI FILII REGII EFFIGIEM AD SPECTATOREM.

Augusta augustæ quicumq; in imagine prolis
 Sigismundi agnoscis uiuida signa Patris,
Et materna Bonæ spectas uestigia formæ
 Testatumq; pari semen utrumq; nota.
Concipe spem dignam tantis ex indole Regnis,
 Quam spondet summum stirpe ab utraq; genus.
Fons illinc proauum summa repetitus ab Arcto
 Per Casimireæ martia corda domus.
Nobilis hinc series de stemmate gentis Ibero.
 Tradita per Reges Parthenopea tuos.
At tu facta illis cumulans propiora parentum
 Victoris soboles sanguinis atq; Boni.
Inclyte cresce puer Diuis per summa secundis,
 Vt fiat factis spes rata nostra tuis.

P Gundelius faciebat.



Olegardus pater Ia. Dux Lithna
Vladislaus Iagello Po. Rex
Heduigis con
Anna con.
Elisabet côiunx.
Sophia coniūx.
Vladislaus Rex.
Alber. Ro. H. & Bo. R. D. Aust.
Fridericꝰ primꝰ dux Austri.
Elisabet Bonifacia filia.
Heduigis filia.
Anna fil. Ferdi. coñ
Ludouicꝰ H. & B. R.
Vladislaus Hũ. & Boemię Rex.
Anna Galla uxor.
Casmirius Dux.
Casimirus Rex.
Elisabeth fi Alber. uxor
Fridericus Cardinalis.
Barbara coniunx
Sigismundus Rex Polonię.
BONA coniunx
D. Casimirus filius
Ioā. Albertus Rex Polonię.
Alexander R. Polonię
Helena côiūx.
Georg. Dux Baua. mari.
Heduigis Casimi. fil.
Heduigis Sig. filia.
Anna Sig. filia.
Isabella Sig. fil.
Margaretha sanctimonialis
Rupertus Palatinus Reni mari
Elisabeth fi. Georgii
Fridericus March. Brañ.
Sophia 2. Casi. filia.
Elisabet 3. Casimiri f.
Elisabet 4. Casimiri f.
Casimirus Fri. filius Marchio
Susāna Geor. coniūx Marc.
Albertus mgr Prussię
Ioānes March


Io. D. Ge or. fi
Lanth. Has filia cõiunx
Christophorus Dux.
Christophorus Dux
Fridericus Dux
Anna fi.
Agneta fi.
Margaretha fil.
Cristina fi.
Magdalena fi.
Georgius Dux Saxonię maritus
Barbara 6 Ca. filia.
Fridericus Dux Legniceñ. mari.
Elisabet 7. Casi. filia.
Heduigis Friderici filia.
Elisabet Bogus lai filia.
Dux Holstein maritus.
Sophia Boguslai filia.
Boguslaus D. Pom maritus.
Anna 5 Ca filia.
Georgius filius.
Aemilia Phi. Pa. R. fi. con.
Casimirus Dux Bo fi.
Bernas Dux Bo. fi.
Geor. Dux Bregeñ mari.
Anna Bo. filia
Ruprus Ru. filiꝰ mortuꝰ
Philippus Ru. filius.
Ottohen Rupti fi.
Marg Fri filia.
Marchio Bad. ma.
Elisabet Friderici Marchionis filia.
Boguslaus Ge. filius
Philippus Geo. filius
Margaretha Georgij filia
Fridericus Prę positus. Herbi.
Guilhelmus Friderici fil.
Ioã. Alber. Frid. filius.
Gumbertꝰ Frid. filius
Fride. Dux Legni. mari.
Sophia Friderici filia.
Vladislaus D. Thes. ma.
Anna Fe filia
Barbara Fri. filia.



IN BONAE REGINAE EFFIGIEM

Implentis paribus nomen tam nobile factis,
  Reginæ facies hæc ueneranda BONAE est.
Cuius Sphortiaco patrium de stemmate germen,
  Maternum Reges surgit in Hesperios.
Sed tamen euentu felicior illa mariti,
  Optata fecit quem modo prole patrem.
Augustum pariens augusto ex semine natum,
  Augusta Augusto mater ab augurio.
Omina conueniunt augendis optima rebus,
  Surgit agro fœlix insita planta bono.
Vos modo tam fausta saluos cum prole parentes
  Seruate, & totam numina summa domum,
Vt Reges populis populi quoq; Regibus ipsi
  Sigismundo incolumes sceptra tenente sient.

P Gundelius faciebat.






Ora SIGISMVNDI quisquis uictricia Regis
Aspicies tabula lector in exigua.
Non pictoris opus ductasue coloribus umbras
Virtutes summi sed meditare Viri.
Queis mentes meritæ per tot præconia famæ
Cunctorum uiuis complet imaginibus.
Has nec Apelleæ reddet tibi linea dextræ,
Mæonijs labor est aptior ille modis.
Iusticia/ingenium/pietas/prudentia/uirtus/
Hæc uera eximij Principis effigies.
Quæ foueat bonitate suos, uirtutibus hostes
Arceat/ex æquo bella togamq; regat.
Hanc uero faciem de uultu & nomine nosces,
En quod ames lector quod uenereris habes.

P. Gundelius F.



AD INVICTISSIMVM, ATQVE CLARISSIMVM PRINCIPEM SIGISMVNDVM Sarmatiæ Poloniæq; Regem, Magnum Lithuaniæ Ducem, Russiæ Prussiæq; &c. dominum hæredemq;. Iodoci Ludouici Decij eiusdẽ Maiestatis Secretarij in historiã temporũ suorũ. Præfatio.

Diuersarum in autoribus sententiarũ ratio.

A Rerum primordio/ad Aui tui Rex inclyte tempora, Sarmatarũ uetustates obiter/uti ab initio pollicitus sũ/uno libro exposui, inibi mihi cũ multis longo iã usu probatis dissentire negotiũ postulauit, quom aũt eousq; hominũ studia ꝑtingãt, ut opinioĩbus ferme tota uetustas subiaceat, datur hæc uenia antiq̄tati/ut quasi impune ꝑmiscere possit oĩa, hinc q̊t scriptores unq̃ fuere, tot forte sentẽtiæ ad posteros trãsmissæ cernũtur. Dũ .n. unicuiq; sua studia maxĩe placẽt, singuli q̄cunq; arte gloriã quærũt & discretis per cõtrouersias ingenijs uariæ opiniones in apertũ actæ prodiere. Mihi q̄dem/qui uetustissimos sum sequutus/eadẽ quæ multis uenia debet, ꝙ quæ ad res Sarmaticas magis ꝑtinere uisa sunt/excripsi, idq; nõ temere, sed ratiõibus suffult9 feci. Ab Aui uero tui initijs ad tua felicia sceptra/maiorũ tuorũ sobolẽ atq; stirpem unico etiã libro enarraui, res ꝙ in recẽti esset memoria/&

Tercij libri materia.

ab alijs cõscripta/sicut facilioris negotij/ita minoris periculi fuit. Iam supest ut tercio loco tuorũ tpm historiã (uti in opis p̄fatione testatus sum) singulari libro ꝑscribam. Ea res a priori labore tantũ abest, ut (si bene consuluisse uideor) nihil cũ eo habeat cõmune. Nam quod supra ætatẽ erat nostrã/ab alijs excriptũ in opus redactũ tradidi, cæterũ ubi opinionibus certatũ, pro me ꝙ uel uisum/uel ab his quos sequutus sum acceptũ est/inserui, sententiã nihilominus apud iudicem reliqui. At alia nunc in parte opis alia necessitas urget. Nam facilitatẽ/& rerũ gestarum p̄sentem memoriã, metus atq; ingentis periculi difficultates uicere, ubi historiæ fides ueritati accedendũ monet, eorũ sæpe q̄ in alto agunt cũ periculo mentionẽ facere opus exigit, quæ cõsilij uel belli augent gloriã grate suscipiunt, quom principis atq; bonorũ egregia laus dignis extollit p̄conijs/hoc totũ inuidiæ morsibus subijcit. Ea lege int Scyllam & Charybdim nihil tutũ nauigãti relictũ. Illic ueritas (si periculi metus adegerit) uiolãda, hic adulatiõis nota (si æmulis uisum fuerit) incurrẽda est. Quom itaq; eo peruentũ sit/ut neq; consiliũ neq; remediũ liberet, nihil plus q̃ ueritas atq; historiæ fides seruãda erũt. Cæterũ int spem gloriæ & ꝑiculi metũ nullũ facere discrimẽ, satis gloriæ accedit, si nemine ex me ipso læso planã fuero sequutus ueritatẽ, si cui negociũ fecero tua Maiestas iudex esto. Ego ad hoc me parabo, ut quæ ingenia/qui mores/quæ ue studia te in regnũ assũpto fuerint/demũ quæ disciplina/quæ uirtutes/quæ ue militiæ & armorũ gloria, iam te rebus p̄fecto in hoc regnũ inuectæ sint/paucissimis q̄dẽ uerbis exponã. Præterea ubi uiciorũ ĩmensitas adegerit opæpcium erit, ut nõ liuore actus, sed rebus sic postulantibus dicẽdi ordinẽ uel inuitus ꝑturbem. Postremo quod ad me ꝑtinebit si nõ (uti rerũ scriptoribus mos est) altũ fecero dicẽdi initiũ, uel facũdo ornatu, uel sermonis cultu rem deinceps reddam decorã, ueniã facili negocio spero adepturũ, tũ ꝙ ueritatẽ atq; fidẽ (primas in historiæ ꝑtes) pro mea uirili sim sequutus, tũ etiã ꝙ utcũq; stilo facili ĩtelligibili tamẽ scripsi. Hæc dũ tua Maiestas non dedignet nullius mortaliũ odiũ ꝑtimescendũ erit. Hinc ĩtrepidus tua clarissima princeps tempora aggredior, uotisq; omnibus precor/ut deus opt. max. tua augeat imperia, regnisq; te uiuente pacis reddat felicitatem.



ARMATIAE EVROPEAE SITVM atq; populos illius finibus interclusos, partim eo libro quem de Sarmatarum uetustatibus adscripsi/exposui, reliquum quod ex usu non uisum quia ab alijs traditur uolens prætergressus sum. Iam in SIGISmundi temporibus Annus ab orbe redempto septimus supra Millesimum Quingentesimum dicẽdi faciet initium, quo in loco, operæprecium erit, quis tunc in regno Magistratuum fuerit ordo/referre, eo ꝙ res postulare uidentur, locorum deinceps atq; eorum qui rebus præfuere crebro meminisse. Regnum Sarmatiæ, quod posterior ætas Poloniam appellauit, hodie Sarmatiam totam partemq; Germaniæ habet, hoc sicuti cæteris regnis mos est, in uarios populos atq; prouincias, seu(ut hodie uocant)districtus separatum est. Quando uero hæc noua sint indita nomina, non plane mihi constat, ab insignioribus locis denominationes fieri certo apparet. Vniuersum regnũ in has prouincias discretum cernitur. Poloniã minorem quæ ad caput Vistulæ & circa est, nobilemq; habet Graccouiam urbem. Maiorem uero Poloniã quæ Gneznam Poznaniamq; insigniora habet loca, deinde Prussiæ dominium, et Pomeraniæ partẽ. Hæcq; omnia ultra Vistulæ amnem in Germania sunt, præter Prussiam cuius maior pars Sarmatiæ solum occupat. Apud Poloniam maiorem ducatus est Mazouiæ/regibus Poloniæ feudalis, hos Lithuani attingunt, & apud Lithuanos ad Septentrionem Samagittæ sunt nõ Massagetæ ut Aeneas uoluit. Lithuania a meridie Russiam habet, usq; ad Daciæ fines/quos Valachos appellant, ab his quoq; ad minoris Poloniæ fines Rutheni sunt, Podolia Russiæ est prouincia, atq; hæc potiora prouinciarũ uocabula. quæ & si apd' latinos in usu nõ habentur, a me tamẽ propter faciliorem rerum cognitionem non immutabuntur. Nunc festinat sermo ut priuata loca cum districtibus enarret, quiq; assumpto Sigismũdo rege magistratibus præfuerint exponat. Sed anteaq̃ ad regni sæculares status(ut nominant)peruenīam, negocium exigit a spiritualibus facere initia. Toto igitur regno hac ætate hi sunt Episcopatus. Gneznẽ Archiepiscopatus in Polonia maiori primas regni tenet, huic præfuit Andreas Rosa. proximus huic Archiepiscopatus Leopolieñ in Russia/quem Bernhardinus Vilczeck obtinebat. Tertius est in eo ordine Graccouieñ Episcopatus minoris Poloniæ, cui Ioannes Conarius præfuit. hunc sequitur quarto loco Wladislauieñ Episcopatus Cuiauiæ prouinciæ, eum Vincentius Przerambski possidebat. Poznanieñ Episcopatus maioris Poloniæ quintum seruat locum/licet sint qui alternatim Wladislauieñ ac Poznanieñ dignitatem mutent, hunc Ioannes Lubrantius regebat, Sextus Ploceñ est Episcopatus Mazouiæ, quem Erasmus Sczolek Graccouieñ habuit. Przemislieñ Episcopatus in Russia septimo loco adnumerat, hũc Matthias Dreuicius Vicecancellarius regni gubernabat. Chelmeñ prouintiæ etiã Russiæ Episcopatus octauus est, cui Nicolaus Cosczieletius præsidebat. Nono

Regni Poloniç districtus.

Ducatus Mazouiæ.

Episcopatus Poloniæ.

sidebat. Nono loco Camienicẽn prouintiæ eiusdem Episcopatus adnumerat. huc Iacobus Bussaczky tenuit, Luceorien̄ decimo loco est eiusdem prouintiæ quẽ Albertus Radiuili regebat. Vndecimus eiusdem prouintiæ Kyouien̄ est Episcopatus huic Matthias Radiuili præfuit. Warmien̄ Episcopatus Prussiæ nunc Polonis paret, hunc Lucas Thorunien̄ possedit. Culmensis Prussiæ etiam Episcopatus, huc Ioannes Crapytz habuit. In Lithuania uero duo sunt Episcopatꝰ utq; a Iagellone hoc est Wladislao rege erectꝰ. Vilnen̄ prior huc Albertus Tabor tenuit. Alt Mednicen̄ puitiæ Samagittiæ quẽ habuit, hæc de episcopatibus sic se habuere. Tota Polonia maior atq; minor simul Lithuania cum Samagittia et ferme tota Russia Romanam sequuntur ecclesiã, nisi quod apud Lithuanos pars quædã Thartarorũ insidet, propriã habens sectam, regibus tamen hi quoq; obediunt, nec ex raptu uiuere solent. Cæterum apud Roxolanos et Podolitas sunt Rutheni qui græcam habent fidem, a qua tamen nonnihil sunt discreti, & ita ut Bohemi a Romana ecclesia separati, partim occupant Armeni, sed multo plus perfida gens Iudæorũ incolit, atq; hæc religionis loca & fidei cultus erant, quibus sic obiter enarratis, ad sæcularium conditiones properandum erit. Primarum itaq; dignitatũ nomina Palatinatus atq; Castellanorum sunt præeminentiæ. Priores sunt Palatini, Castellano Graccouien̄ dempto, quondam propter nepharium Palatini facinus prælato. Inter omnes Graccouien̄ post regiam maiestatem primũ obtinet locũ cui tunc Spytko de Iaroslaw præfuit, hanc dignitatem sequuntur iam palatini omnes, dehinc Castellani, quorum toto in regno multi sunt, neq; ex usu quod hic adscribantur, quod externis nationibus ad historiam nihil addant, incolis uero regni in statutis iam pridem editis reperiantur. Eorũ tamẽ meminisse forte iuuabit qui inter alios primi existant, & qui in hoc regno locum quem apud Germanos principes, obtinẽt, Palatini Graccouien̄ ac Poznanien̄, hic maioris ille minoris Poloniæ primi in dignitate, inter se tamen dignitatis alternam habent (dum simul sunt) commutationem. Graccouien̄ palatinatũ Ioannes de Tharnow habuit. Poznanien̄ Andreas de Schamotuli tenuit. Suprema Sarmatiæ officia hæc sunt. Cancellariatus magnus regni quem Ioannes de Lasko tunc obtinebat. Vicecancellariatus eo tẽpore Mathias Dreuicius Epus Premislien̄, Marschalcus Stanislaus de Chodecz, Thesaurarius Iacobus de Schydlowiecz. Præfecturæ dehinc, quas Capitaneatus hæc appellat ætas, innumeræ (ut ita dicam) in quis treis insigniores habentur. Maioris Poloniæ præfectura generalis, quam eo tempore Ioannes Zaramba de Kalinoua administrabat, Minoris Poloniæ cui Nicolaus de Camieniecz præfuit, & Leopolien̄ Capitaneatus Russiæ est eum Stanislaus de Chodecz habuit / Scepusien̄ ultra Carpathos mõtes in Pannonico solo Polonorum imperio parens, quem tunc Ioannes Iordan tutatus est. reliquas præfecturas seu (ut uocant) Capitaneatus non multum uidetur ex usu his inserere, tum quod omnibus ferme cognitæ, tum etiam quod historiæ parum addere uidentur. Iam utriusq; status Sarmatici regni supremas conditiones & nomina adscripsi. Hæc omnia nulla acquirũtur successione, sed ut singula regio dependent arbitratu, ita ex illius gratia obtinentur, atq; in benemeritos reipu. conferuntur.

Religiones in regno Poloniæ

Dignitatũ Poloniæ ordo.

Palatini Graccouien̄ & Poznanien̄.

Sũma officia.

Capitaneatus.

conferuntur. Nūc superest paucis quoq; adscribere, quibus moribus quibusue studijs Poloniæ regnum ad regium soliū Sigismūdo euecto laborauerit, & quā statim eo rebus præfecto in uniuersum ferme uariatum sit exponere. Sub Casimiri primo initio Poloni longo bellorum usu priscum robur animumq; adepti nihil plus q̃ militiæ disciplinam sequuti sunt. Verum dum ille succes su annorum domi pace frueretur, paulisper ocium irrepsit, tum quoq; fœlicia fuere omnia. & ipsam mox fœlicitatē pedissequa superbia sequuta, hinc libido & mollicies pulsis militiæ studijs hominum animos effœminatis uitijs subiugarūt. Alberto mox rebus potito aduersa fortuna sæpius certatum neq; sub Alexandri imperio belli uirtus recuperata est, atq; ita maximus corporis ornatus, maxima uirtus haberi cepit, alios in epulis, comessationum & uentris indulgentia uicit, alios libido atq; luxus præcipites egit. Postremo uestis non modo mollis, sed fœminea longa/rara plicis/uerum preciosa, parthicam formam habens. Pellibus quoq; et mollibus et preciosis usi, caligas uel nunq̃ uel raro deferētes, crines plusq̃ uiros decet longos atq; tortos ferre mos erat, cæterum hæc tanta uicia ingens uirtus æquabat. Summa religionis et in promissis fides. Nobilibus/Patricijs atq; plebi litterarum studia ex æquo chara. Raro apud Sarmatas seu Polonos genere nobilis repertus/qui non quattuor uel trium nationum linguam nouisset, latinam uero omnes. idq; inde sumptū crediderim/quod uulgaribus litteris uel scripturis nihil memoriæ mandatū est. Regni Cancellaria (ut uocant) latinis litteris omnia expediuit/atq; ita factum ut passim docti omnes euaderent, habēt preterea Poloni cū Italis plus cæteris nationibus linguæ inflexionem communem, ut latinarum dictionum sonum citius ad Italicū accentū, quadam gratia ac dulcedine inflectere queant. ea re Polonia omnium ferme gentium studia uicisse uisa fuit, quom rarus esset qui præter uulgare suum latinas litteras nō haberet, deinde Germanicū Hungaricū & ut sæpe Italicū idiomata nesciret, taceo q; Lithuanicū atq; Ruthenicū plerumq; in usu fuit, his moribus atq; studijs regnū ad Sigismundum peruenisse constat. Ad quem nunc stilus dirigendus est. Eius prima ætate (quod hic facturum secundo libro pollicitus sum) enarrata deinceps ad regni res me conuertam.

Rerum Polonicar; mutatiōes

Litterarū latinarū familiare Polonis studiū

SIGISMVNDVS igitur Kasimiri quintus filius & octaua proles Anno salutis 1467 die prima Ianuarij natus postq; cunabula egressus latinis litteris erudiendus optimo preceptori traditus est, creuitq; in litterarū studijs, ut hodie non latinas solum litteras & uariarum scientiarum cognitionem habeat, sed docte pariter & eleganter ubi negocium postulat rerum seriem exponat. Ea quoq; ætate Germanico linguagio instructus est, quod ita callet ut ferme nescias polonum ne an Germanum magis iudices. Verum hæc nō Sigismundo solum sed illi cum omnibus Kazimiri filijs fuere communia. Primam ætatem supergressus/patre Kazimiro mortuo/atq; a Lithuanis Alexandro in ducem assumpto. Sigismundus Ioannis Alberti pro paterno regno competitor, sed Elizabet reginæ parentis adhortationibus expugnatus/Alberto cessit, qui Sigismundum quo ad uixit summo honore atq; integerrimo amore prosequutus est. Paulopost Anno salutis humanæ 1498 die 3 mensis Octobris/per 1498

Sigismūdi Regis a puero institutio.

Wlatislaum Hungariæ regē in Pannoniā euocatus Graccouiā exiuit fraꝰno beneficio Glogouieñ atq; Opauieñ. ducatus obtinuit, hac tamen lege, si unq̄ ad regni Poloniæ solium euectus foret, Glogouieñ ducatus ad Wlatislaum libere rediret, Opauieñ pecunijs posset a Sigismundo ad Silesiæ principatū redimi, hæc adeptus simulq; ea quæ ex Polonia q̄ttannis soluebant, Sigismūdus, dum Alexander etiam rebus præesset, apud Glogouiam sua sorte cōtentus agebat. tum quoq; illi Wlatislaus frater supremam Silesiæ præfecturā cōmisit, in qua ita se iustū principem gessit, ut paulopost q̄ illam suscepisset, latrunculis quorum tum (ut solet) maxima copia fuit, nihil tutum relinqueretur. qui dūnullibi salutem reppperissent, ad extremam uindictam accincti, certis carminibus principis nimiam accusabant seueritatē, præfuit Sigismundus Glogouiensibus usq; ad regni assumptionem ac ita dominatus est, ut bonis omnibus charus, malis importabile semper flagellum esset. Sigismundus uero corpore procerus, ingentis staturæ, ut animo ita mēbris fortissimus, subfusci crines, supercilia magna, oculi aspectu minaces, genæ rubedine naturali nitentes, totaq; facies ueneranda, & nihil quod ad humanæ formositatis fœlicitatem pertineret solers natura neglexit. Animus uero ab ineūte ætate in deum sacraq; religiosus, in maiores obseruantiæ studiosus, in subditos pius & clemens, in egenos misericors, iustitiæ & æquitati ita addictus, ut nullis unq̄ cōsilijs a recti tramite potuerit diuelli, promissi ita tenax ut supra fidem altius nihil duceret, Inediæ atq; algoris patiēs, quom cōditionis occasio esset, militia quoq; insignis, tota uita summa abstinentia usus, comessationes potationesq; supra q̄ naturæ necessitas postularet in seipsum nunq̄ admisit, in alijs ad indignationem execratus est. Vinum, ceruisiam, medonemq; a teneris unguiculis nunq̄ gustauerat, donec Federici Marchionis Brandeburgeñ affinis precibus uictus, uinum parum summeret, deinde medicorū consilio atq; iussu uteretur, nunq̄ tamen nisi prandens cœnansq; paucissimo & eo minime forti utitur, reliquam sitim aqua cruda semper sedare & extinguere solet, hijs uirtutibus semper redimitus in hunc locum euectus est. Glogouieñ ducatum adeptus monetam nouam grossos excudere iussit, qui in una parte Aquilam, in alia ducatus Lithuaniæ habent insignia. Solitus erat singulis ferme annis fratres reges uisitare. Quom uero anno 1506 pro sua consuetudine Alexandrū in Lithuania agentem adire uellet, in itinere regem ægrotare illi nunctiatum est, maturabat ille iter, dumq; duodecim millibus passuum adhuc a rege distaret uita excessisse percepit, quo nunctio accepto nihilominus locum mortis Alexandri (salubri capto consilio) adijt, fama erat, si Sigismundus tam subito non uenisset, de rebus Lithuanicis ex quorundam factionibus prope desperandum fuisse, uerū dum & Senatus & populus suū principem uidissent. Iagellonis memoria & Sigismūdi uirtus omne periculū uicere, abiectis itaq; factionibus Sigismundus mox Lithuanicis rebus 26 Octobris eodem anno præfectus est, & spes tunc summa pro consequendo paterno regno accessit. Hoc modo Sigismundi res se habuere in ea tempora quibus Sarmatiæ sceptra parente Kazimiro, Ioanne Alberto, & Alexandro fratribus predecessoribus uita sublatis fœliciter (quod deus faxit) obtinuit, atq; nunc de regni rebus

Gesta Sigismūdi in prefectura Silesię.

Forma habitusq; corporis Sigismundi.

Temperantia Sigismundi.

1506

Sigismundus Lithuaniæ rebus prefectus.

eo in regem

eo in regem assumpto dicendi mox initium sum facturus. Alexandro in Lithuania apud Vilnam 19 Augusti 1506 morte extincto Senatus apud Piotrkouiam comitia pro regis electione habuit. Quomq; uniuersæ Sarmatiæ Concilium frequens conuenisset, die octaua Decembris, factis eo die diuæ uirginis cōceptionis sacris officijs, omnium uotis a deo optimo maximo princeps qui reip. statu fœliciter præesset postulatus, paulo postq̃ sacra officia rite peracta essent, totius Senatus assensu Sigismundus Kazimiri quintus filius, Magni ducatus Lithuaniæ Glogouiæ Opauiæq; dux, & totius Silesiæ summus præfectus Sarmatiæ Poloniæq; rex assumptus et declaratus est. Eam forte electionem triplicato mysterio effectū sortitam prodidere. Primo loco q Wladislaus Hungariæ Bohemiæq; rex Osualdum Karlacium ad Poloniæ Senatum legatum miserat, et Sigismundo primogeniti ius cessit, summoq; desyderio pro eius assumptione laborauit, huic accessit q Lithuaniæ ducatus Sigismundo iam assumpto, a regno Poloniæ (alio præfecto rege) discretus abiret. Postremum & inter hæc maximum Kazimiri memoria & præsens Sigismundi uirtus, summaq; iustitia in contemplationem sui Senatum admonuere. Præfecto iam atq; publicato Sigismūdo, legati in Lithuaniam missi fuere. Vincentius Przerambsky Wladislauieñ, Ioannes Lubrantius Poznanieñ, & Matthias Dreuitius Premislieñ & regni Vicecancellarius Episcopi, Andreas de Schamotuli Poznanieñ Ioannes de Tharnow Belseñ Palatini & Ioannes de Lasko Regni Cancellarius qui Sigismundum apud Mielnick opidum reperientes, ad regnum postulauere. Ingens interim Craccouiæ ac toto regno lætitia hominum animos inuasit, ubiq; deo uota publica laudesq; persolutæ, hinc domi pacis, foris uictoriæ spes maxima tenebat. Sigismundus nihil moratus Poloniam ingressus Craccouiam uigesima Ianuarij sub anno salutis 1507 instructissimo pulcherrimoq; apparatu maiori hominum parte Lithuanico ritu instructa uenit. Vniuersus populus incredibili applausu, ignibus, machinis, uarijsq; cerimonijs gratulationem suam ostentantibus, nouum regem suscepit, hisq; auspicijs Sigismundus (cuius nomen & apud externas gentes clarum erat) circa horam uigesimam secundam Graccouiam intrauit, in arcem ductus est. Ordinatis demum singulis ad coronationem regis ex usu necessarijs, Sigismundus in diui Venceslai arcis Græcouieñ templo sacramento eucharistiæ salutari religiose accepto rite cerimonijs peractis in regem Sarmatiæ atq; Poloniæ unctus & coronatus est. Coronationis munus Andreas Roza Archiepiscopus Gneznensis exequutus est, huic assistebant Ioannes Conarius Graccouieñ & Matthias Dreuitius Premisliensis Episcopi ob differentiam inter Cuiauiensem & Poznaniensem Episcopos ob eam rem existentem. Adfuere item Bernhardinus Vilczeck Leopoliensis Archipræsul Vincentius Przeraptius Wladislauieñ, Ioannes Lubrzantius Poznanieñ, Erasmus Vitellius Ploceñ, Lucas de Thorunia Warmiensis, Et Ioānes Amicinus Laodicensis & Suffraganeus Graccouieñ Episcopi. Ad hoc pleriq; ex Abbatibus infulatis affuere. Hāc coronationem Wladislai Hungariæ & Bomiæ Regis fratris germani legatus Stephanus Theletzki honestauit. Præterea ex ducibus magnatibusq; Lithuaniæ plurimi fuere. Insignior cæteris Mi-

Sigismundus ad regnum Poloniæ eligitur.

Coronatio Sigismundi.

F 3 chael Helinskeus

chael Helinskeus fuit, cuius apud Alexandrum summa autoritas/etiã usq; ad inuidiam non sine reip. incommodo creuerat. Hæc Sigismundi coronatio sub annum ab orbe redempto 1507 diem 24 Ianuarij incidit. Sacris expletis, deinde conuiuijs publicis nonnihil temporis principum more indultum est. Sequenti uero die induuijs Regalibus indutus, Coronamq; in capite gestans prælatis status utriusq; comitatus & optimatibus eques in urbem ex arce descendit, illicq; in suggesto ut moris est thronum Regium representãte erecto consedit & Homagium (ut uocant) a Magistratu ciuitatis Cracco. ac claues urbis cũ debito iuramẽto accepit, ubi & uniuersus populus digitis erectis suo regi fidelitatẽ iurauit. Quibus tandem finitis, & his quibus ad reipu. consilia nihil interesset dimissis. Rex atq; Senatus ad labentis iam antea reip. statum animos conuertunt. Comitijs publicis mox apud Graccouiam indictis, studium summum erat, ut res negligentia præcipitatæ domi pace restituerentur. Cæterum si quod bellum assumẽdum foret, quibus suppetijs exhausto publico ærario id aggrediẽdum consultum fuit. Ea conuentione Sigismundus prærogatiuas maiorum regum Sarmatiæ atq; Poloniæ per edictum cõfirmauit, certasq; leges statuit, hæc cum in regni statutis habeantur, necessitas his adscribere non postulauit, hinc exactiões impositæ. Regij atq; nobilium rustici Iugeratim per grossos duodecim. Ciues solitam semialteram exactionẽ. Nobiles tribuni (alias Sculteti) Ciues in ærario publico & hi qui contractus in uim redemptionis habent hisq; similes censuum quartã partem. Spirituales contributiones uetusto more, Episcopi decimæ octauam partem/exoluerẽt. Ex his quoq; comitijs monetæ cussio continuata publico decreto fuit, paulo post Stephanus Teleczky Wladislai Hũgariæ regis legatus, regis Senatusq; decreto in Daciam alias Valachiam missus, ut duorum regum nomine pacis conditiones ferret. In Hungariam oratores missi confederandorum regnorũ causa Episcopus Poznanien. Marsalcus regni, Cancellarius regni & Christophorus de Schydlowiecz. Reliqua hoc anno in Sarmatia atq; polonia pacata fuere. Rerum quoq; Prutenicarum tranquillus status erat.

Homagium Graccouien.

Exactiones.

RES VERO LITHVANIAE INGENS negocium contraxit, tuncq; Moschici in hanc ætatem perseuerãtis belli initia suscepta fuere, quod quom & maximum & periculosissimum sit, operæprecium erit altius eius initia referre. Michael Helinskeus dux appellatus, homo ut animo audax, ita ĩgenio sagax ac corpore robustus, ad omne periculũ promptus. Apud Germanos annis plus duodecim militauit, ingeniumq; & uires exercuit. Apud Alexandrũ deinde summam fortunam adeptus, sed ea abusus, per felicitatem in ambitionem præceps ruit. Primum paucis gratus, deinde largitionibus amicos quæsiuit, boni ferme omnes (& ipse Sigismundus princeps) suspecti. Postremo Alexandro ægroto in Lithuaniæ principatum succedere ambitio fuit. Hæc ita se habuisse insimulatus est Helinskeus. Constat tamẽ postq̃ Sigismundus ingressus erat Lithuaniam omnium primum fuisse, qui cum omnibus amicis illi obuiam egressus pedibus eius prostratus, Magniducatus Lithuaniæ principem salutaret, addebant illi apud Alexandrum partæ opes animum immodicum. Hæc dum Sigismundus consilia aduentu in Lithuaniam præuenerat.

Origo bellorũ Moschicorum

Michael Helinskeus, dux.

Helinskei res

Helinskei res aperte inclinatæ sunt, eamq; tunc Helinskeus mortalibus communem expertus est fortunam, ut felicibus temporibus amicos plurimos haberet, tum uero fortuna parumper nutante nullus foret. Helinskei itaq; insimulata factio Ioanne Sabresinskeo Marsalco Magniducatus Lithuaniæ auctore (ut fama erat) in apertum prodijt, hanc Helinskeus molestiam, summã ratus iniuriam, Sabresinskeo apud regem negocium fecit. Rex in re difficili consilio capto, ut ex re erat non putabat festinandum, atq; ita Helinskeus (ut illi uisum) iniuria affectus summo conatu apud regem ut decerneret, quid ea in controuersia iustum esset postulauit, tantoq; importunius rem tentauit, quo plus illud inter opibus pollentes maturius agendum cognouit. Hinc 27 mensis Martij ad Wladislaum Hungariæ Boemiæq; regem Budam properauit, ubi dum spe frustratus esset, parum moratus in Lithuaniã acceptis tamen a rege litteris quo minus dilatio rerum famæ atq; honori suo dedecus esset futurum, redijt. Interim uero Basilius magnus Moschorum dux exercitũ triginta millibus passuum Smolentzko prætergressus Lithuaniæ induxit. Rex dũ hæc ex nunctijs cognouit, domi pace rebus cõpositis, Gracc. 24 Maij egressus, in Lithuaniam celeriter peruenit, contractisq; undiq; copijs, Basilio quã primum obuiare statuit. Moschus ubi regium exercitum aduenire persensit, simulq; Thartaros Thauricos. i. Przecopień. Lithuanis auxilia ferre cognouerat, exercitũ non uiso hoste domum reduxit. Lithuani Gzycow a Moschis recuperarunt, certisq; Moschorum oppidis populatis. Sigismundus cum hostes pugnæ copiam subtraherent, & comeatuum inopia simul & caloris cruciatu exercitus molestaretur, Vilnam regressus. Cæsar itẽ Tauricus, qui octuaginta hominũ milia in exercitu habuisse fama perhibetur, paulopost in Tauricam infecta re digressus est. Sigismũdus Comitijs nouis apud Graccouiam indictis ex Lithuania accelerauit. Graccouiam 24 Ianuarij sub anno 1508 ingressus est. Hic igitur Sarmatiæ rerũ status sub anno salutis 1507 adscribit.

Basilius magnus Moschorũ dux.

ANNVS Millesimus quingentesimus octauus, hoc modo initia atq; finem sumpsit. Rege in ipsis anni initijs comitia agente de Sarmatiæ rebus consilium fuit quæ domi pace omnes trãquillæ ad anni finẽ mansere. Cæterũ nouum regẽ noua ubiq; difficultas urgebat, Aeraria tam priuata q̃ publica undiq; exhausta fuere. Regia passim bona impignorata. Bohemiæ Germaniæ atq; Poloniæ milites qui apud Ioannem Albertum atq; Alexandrum stipendia meruerant summo conatu solutionem postulauere. hic Regius honor fidem seruandam monuit, illic ærarij atq; reip. difficultas premebat. At deus qui humanis rebus semper præsens, in summo rerum discrimine uniuersam prebuit opulentiam. Rex itaq; Ioannis Boneri Germani uiri optimi & Sigismundi rebus a duodecim tunc ferme annis summa dexteritate ac studio præfecti, facultatibus atq; consilio usus, ex monetaria (ut uocant) officina, quam Bonerus argento prouidebat, simul & aliunde pecunijs conlectis incredibili breuitate rempublicam propemodũ lapsam restituit. Primis initijs bona multa pignore obstricta soluto ære redemit. Comitatum Scepusień ex manibus Ioannis Iordan duodecim millibus aureorum liberauit, Ducatum Auswincień & Salinas Russiæ a Paulo Nigro

An. 1508.

Ioãnes Bonerus.

Redempta per Sigismundũ R

Graccouiensi Ciue quattuordecim millibus aureorum exemit, Proschouium oppidum a Georgij Lang hæredibus nouem millibus aureis liberauit. Nieschouien̄ arcem ex manibus Stanislai Cosczielecij nouem millibus redemit, item paulopost inter Graccouien̄ urbis mœnia uaria officia ad Magniprocuratoris arcis Cracouien̄ præfecturam pertinentia presertim molendina, Custodiam piscium, maccella & quædam alia plus duodecim millibus persoluit. Salinas Craccouien̄ censibus plurimum grauatas in magna peccuniarum summa diminuit, quibus tunc in initio regni Ioanne Iordan mortuo Andream de Cosczielecz præfecit. Ilkusiēsis plumbi orboram a Seuerino Bethmano quinq; florenorū millibus exemit, præterea Siradiam quinq; millibus, Gostiniam duobus millibus, Miedzerzecz duobus millibus trecentis. Radomiam tribus millibus, Sochaczouiam septem millibus, Piotrkouiam Mille ducentis. Drohobytz quinq; millibus, Rabstinensem arcem Mille quingentis, Arcem Ritter Mille. Lublinense theloneū Mille quadringentis, Slochouiēsem arcem quattuor millibus, Tucholam undecim millibus, Sandetz quattuor millibus, Iuniwladislauiam quinq; millibus, Theloneum & pontale Thoruniēse decem millibus florenorum ex diuersorū manibus eruit, atq; hæc omnia in ipsis ferme regni initijs cum alijs multis regio ærario adiecit. Germanis, Bohemisq; & Polonis militibus, breui deinceps tempore pro Ioanne Alberto Alexādroq; fratribus plus ducenta millia aureorum exoluit. Postremo arcem Cracouiensem undiq; ruinosam, ueluti sede regia indignam in parte, quæ ad occidentem est a fundamentis nouis erigere ornareq; ædificijs cœpit, hisq; consilijs usus ubiq; rebus in meliori statu positis, ad quartum diem Maij Gracco. consedit, quo die Graccouiam egressus Lithuanico bello operam dare cœpit. Sed hæc infra in rebus Lithuanicis adscribentur. Die 5. Aprilis Iudæus qui cum cæteris complicibus sacramentum Eucharistiæ dehonestauerat, cæteraq; nepharia facinora perpetrauerat. Graccouiæ in diuæ uirginis æde frequenti doctorum cœtu præsente in scalam erectam statutus. Nicolaus uero diui Dominici institutū professus, sacrarū litterarū doctor & hereticæ prauitatis (ut illis dicere mos est) inquisitor iudæi facinora arguebat atq; palam fœcit. Ego tūc Polonicæ linguæ ignarus actū nō potui nisi ex relatione intelligere. Iudæus postq̄ summo conatu atq; intrepide se tueret, tandem nolens conuictus, sæculari potestati traditus atq; igni combustus est. Diebus uero Maij Graccouiæ atq; alijs locis pestis contra Astrologorum opiniones sæuire cœpit, durauitq; ad dies Decembris, ea multi mortalium Craccouiæ absumpti fuere. Eodem mense die decima septima in maiori Xiasznicze præpositura & quattuor Mansionarij ex Parrochiali ibidē ecclesia Abbatis conuentusq; Thinicensis patronorū assensu Nicolao de Coprziwnicza rem promouente / & Ioanne Conario Episcopo Gracco. confirmante erecta & fundata est. In Iulio uero quod suspitio de Thartarorum esset eruptione in regis absentia ex Senatus decreto Ioannes Camienetius tunc Leopoliensis Castellanus et Buscensis præfectus adiunctis illi quingētis equitibus ære publico conductis in Podoliam ad tuenda confinia missus est, qui die 23 illius mensis Miedzibosium perueniēs Thartaros clam in Volhynensem prouinciam erupisse comperit, uix

Inquisitio in quendā Iudæū.

Pestilentia.

Victoria de Tartaris.

comperit, uix tribus horis illic militibus equisq; refectis, ascitis Braczlauieñ & Viniceñ præfectis, ad hoc prouintiæ Nobilibus ac populi Podoliæ suppetijs acceptis, itinere quod uiam nigram uocant, ad Woronow Hrodisco eodem die peruenit. eo in loco Thartarorum copias prædam hominum pecorumq; iam abigentes, numero supra duo millia equitum existentes animose inuadit, atq; uiriliter pugnando strenue fudit, omnem recuperauit prædam, copiasq; saluas in Miedzibosium triumphans reduxit. Nihil deinceps maxime memoria dignum apud Polonos accidit, regis absentia atq; pestis sæuicia simul efficiente. Sub Octobre uero die decima Ioannes Thurzo de Betlemualua apud Nouam Ciuitatem Hungariæ febribus correptus supremũ clausit diem. Vir cum honoris præfatione semper nominandus, natione Hungarus, genere nobilis, sed dudum uaria fortuna uexatus, illud idem Polonicum atq; Germanicum uulgare, expedite sciens, litteris latinis haud uulgariter doctus, ab initio in Polonia fortuna adiutus. Auro argentoq; utrumq; regnum magnis commodis ampliauit, nomen suum apud exteras gentes adminiculo maximæ industriæ clarum atq; perhenni laude celebratum fecit, & cum famatissimis Europæ mercatoribus fuggaris in Augusta Vindelicorũ per connubia societatem iunxit, pleraq; ingenia, uariasq; item artes ad auri argenti cupriq; fodinas eius industria magno quæsitas ære ad posteros trãsmisit, mortuus ad Leuczouium oppidum relatus, in maiorũ tumulo adseruatus est. Moriens hos filios insignes duabus uxoribus genitos reliquit. Primo matrimonio Ioannem Wratislauieñ, Stanislaum Olomucẽsem Episcopos, Georgium Comitem Camerarium montium Hungariæ. Qui uiuente patre affinitatem cũ fuggaris iunxerat, Patre absumpto totam prouinciam & negocium patris suscepit, uir magni ingenij, latina, Germanica, Polonica, Hungaricaq; lingua, peritus, ad omnia patris cepta natus, uerum aduersa ualitudine ut plurimum infœlix, qui aliquanto postea uel sanitatis gratia uel uxore urgente in Augustam Vindelicorum concessit, nunq̃ integre conualuit ad 19 Martij 1521 diem clausit extremum, præter eos Alexium quoq; & Ioannem secundo matrimonio genitos reliquit. Atq; hic hoc anno utriusq; Poloniæ status erat. Res uero Prussiæ in anni finem quietæ fuere. Iam igitur ad res Lithuanicas calamus remeabit. Reuerso itaq; ex Lithuania hiberno tempore ad comitia Craccouieñ Rege Sigismũdo, ut paulo supra adscribitur, interim Michael Helinskeus in Lithuania remanens, undiq; socijs & auxilijs quæsitis, postq̃ res sibi non ex sententia cessisset, in pessimũ facinus animatus est, Ioannẽ Zabrzezinsky magniducatus Lithuaniæ Marescalcum suum utrebatur delatorem apud Grodno in hac parte Chroni fluuij, nihil hostis arma suspecta habentem, sub prima noctis uigilia inuasit, raptumq; per suos satellites ex lecto nudum per cubiculi limen extraxit, tum Thurca cædis ministro capite plecti iussit, immensum uiolentumq; scelus, sed non tam magnum quin quæsita apud principem gratia ueniam habuisset, si modo hanc initio quæsiisset, quom uero ob patrati sceleris magnitudinem & necati amicorum instantiam. Regem tam facilis remissio non deceret, Helinskæus desperatis rebus ad maximi belli initia animũ cõuertit, tumultuarios illico motus excitauit aliquot ex optimatibus magni-

Ioannis Thurzonis mors.

Ioan. Thurzonis soboles.

Michaelis Helinskei facinus

matibus magniducatus complices, & primum fratrem Basilium Helinskæũ
ducem rebellionis socium asciuit, qui certis castellis traditis fratris partes se/
quutus est, his uero malis nõ satiatus Michael, summo conatu Lithuaniæ Rus
siæq; patricios conciliare sibi operam impendit, hic munera polliceri, illic
Michael noui motus Moschici concitator. spem dubiæ uictoriæ & prædæ ostẽtare pergebat. At nondum satis sibi uiriũ
esse ratus, ad Basilium Moschorum ducem thezauris prius, fratre & amicis
in Moschouiam perductis confugit, A Basilio facile auxilia, qui non modo
inuadere sed & uniuersum magnum ducatũ subiugare (ut illi uisum est) posse
crederet impetrauit, Fuere tunc ex Ruthenis atq; Lithuanis qui rebus Helin
skæi fauerent, atq; non inuiti si tempus datum fuisset, huic conspirationi ac/
Firleius. cessissent. Sigismundus his cognitis, initijs obstare decreuit, Firleium cũ exer
citu militis mercenarij sine cunctatione expediuit, Et polonicis rebus domi
pacificatis Craccouiam 4 Maij ipso die diui Floriani egressus, in Lithuaniã
celeriter peruenit, Helinskeus uero interim Regias arces dolo occupatas mu
niuit, præterea Moschi auxilijs alias expugnare aggressus, Minskam arcem
obsidione cingens, frustra conatus, pro maioribus auxilijs Basilium Moscho/
rum ducem sollicitauit, Qui sexaginta hominum millia (ut fertur) proprijs
tamẽ ducibus Michaeli iunxit. At Sigismũdus Rex Brescium ueniens exerci/
tũ percensuit, in quo mercennarij milites Poloni ferme quinq; millia & præ/
terea aulici regij erant, Lithuanorum uis ingens, Ruthenorum & Thartaro/
rum auxilia exercitum circa Nouogrodeck ampliarunt, atq; ita Sigismũdus
Michaeli Moschouiticisq; copijs belli desyderium extincturus, uersus Min/
skeam arcẽ obuius processit. Michael regio aduentu cognito territus, obsidi/
onẽ arcis Minsko soluit, cũ Moschis q̃s in auxilijs primis secũ habuit uersus
Borisow se cõtulit, Quẽ rex prius circa Minsko exercitu toto recẽsito & ordi
nato, fugientẽ apud Orschã citra Borysthenẽ, ubi iã reliquus Moschorũ exer
citus ex sexaginta armatorum millibus Daniele Szennja, & Iacobo Zacha/
rino ducibus peruenerat insequutus est. Duces uero Michaelis fuga & regio
aduentn cognitis, mox exercitum reducere statuerunt, Borysthenem non sine
incommodo superarunt. Exercitum superato Borysthene ad mille ferme pas
sus in nemore ultra collocauerunt, interim fluminis transitum custodia forti
munientes, postq̃ uero regius exercitus qui armis splendens & ordinibus be/
ne dispositus erat, in ea loca uenerat, quibus Moschi Borysthenem transeũtes
Pugna ad Boristhenem. fugerant, Castra illic posita sunt. Dies enim ille diuæ Margarethæ uirgini sa/
cra fuit, mox equitum peditumq; aliquot centena bino uado longo quidem a
se interuallo distantibus flumen superarũt, hostes dum uno in loco Regios in
uado impedire conantur, interim equites, qui iam superato flumine, totũ exer
citum hostium turbare cœperant plures interemerunt, spoliaq; non aspernan
da rapiunt, ab ipsis cibis hostes magnanimiter deturbant, tum in proximiori
uado decertantes a Regijs quoq; profligantur. Rex cũ pugnæ initia iam da/
ta conspiceret, equo conscenso, ad fluminis ripam suis animum additurus, ue/
lociter peruenit. Interea tamen quia sol occideret inclinata die crepusculum
rem dirimere coegit. Quare rex consulte suis receptui signum dedit, ipse ue/
ro ad tertiam noctis horam omnibus prius constitutis uigilijs in castra pran/
surus reuersus est.

surus reuersus est. præcepit tum rex, ut nocte tota milites in armis quiescerēt, quo in diluculo citius hostem inuadere possent, Michael uero qui supremam uictoriam, hoc in bello experiri properabat, magno animo ad uniuersale certamen cum rege Sigismundo socios animabat, facilem certamq; uictoriam, si res ex eius consilio gereretur promittens. Duces uero uel quod aliter a Basilio mandatum esset, uel quod militum suorum uirtuti (quod credibilius est) diffiderent, pugnam detrectant, ita timore perculsi, in eius noctis medio exercitum per nemora inuia perq; paludes periculum imminens fugientes, non sine magno incommodo impedimentis, multisq; equis relictis plus quindecim leucarum spacio a regio exercitu abduxerunt. Quos Michael Helinskeus rebus desperatis necessario sequutus, usq; ad Staradub celeri cursu ne a regijs ex insidijs impeteretur peruenit. Ea uero quæ uel ad hominum uel equorum usum essent relinquēda, in nihilum redacta fuere. Rex autem tum quod armis suorum impedientibus, tum etiam quod itineris modicum esset periculum, exercitum ab Orscha uersus Schmolenskeam arcem duxit. Erant cum rege in ea expeditione ex Polonicis Consiliarijs Reuerendi D Matthias Dreuitius Episcopus Premislieñ Vicecancellarius regni Poloniæ / Ioannes de Lasko tunc Cancellarius regni paulopost Archiepiscopatus Gnezneñ coadiutor factus, Nicolaus de Dambrowytza Lublineñ tunc Castellanus, & Christophorus de Schydlouӱetz tunc subdapifer Craccouieñ & regiæ curiæ Thezaurarius / & pleriq; alij regni Poloniæ proceres. Rex uero cum exercitu saluus ad primam Augusti diem ad Smolenskeam arcem peruenit, & in suburbio castra posuit. Tum consilio cum magnatibus et belli ducibus capto. Rex Constantinum ducem & Nicolaum Firleium exercitui præfecit. Capto itaq; hostis fines inuadendi cōsilio, ex re uisum fuit exercitum in Moschouiam his ducibus summittere, Regem uero interea apud Smolensko mansurum postulantibus rebus quæ ex usu forent exercitui ordinare. hæc dum tardius succedunt ex magnatibus duo inter se dissentiunt, maxime ea res non modo effectum concepti consilij tardauit, uerum etiam expeditionem non sine incōmodo hosti patefecit. hostis quod ex re maxime sua esset, syluas ac nemora arborum demolitione ingenti celeritate clausit, ac Drohobiceñ arcem quod eam tueri posse dubitaret igne absumpsit. Effectum hac re est quod toto exercitui hostium fines inuadere non liceret. Verum nihilominus Regij milites uarijs factis eruptionibus plurima abegere spolia. Missus est item a rege Kiska cū Polonicis ac Lithuanicis copijs uersus Vozniam Moschorum arcem, hic celeriter quæ circa eam arcem essent ferro flammaq; absumpsit. hæc dux Moschorum intelligens, periculum auertere cupiens, mox militibus suis congregatis regijs copijs occurrere iussit, quibus per exploratores ad Kyskam perlatis qui numero se longe hostibus inferiorem cognoscēs regi e uestigio nunciauit. Rex ne in tanto periculo suis deesset nō paruam manū Nicolao Firleio duce, summisit. Is diutius q̄ res tāta postularet in syluis immorari coactus Kyskonis spem interturbauit. qui nihilominus hostium custodiam & qui in excubijs essent aliquot particularibus prælijs uicit, qui fugientes suis magnā Polonorum Lithuanorumq; uim adesse nunctiant, sicq; hostium copiæ solo

polonorum nomine

Fuga Moschorum.

Expeditiōis Regiæ Comites.

Drohobytz exusta.

Kyska circa Vozniam prędas agit.

Polonorũ nomine territæ & euictæ simili fuga salutem quæsiuere. pariter & regijs ferme contigit, cum hostium fugitiui numerosum Moschorum exercitum prope adesse nunciarent, & Kyska supremam fortunam omnium suorũ periculo tentare recusaret, atq; nullo internũctio de auxilijs spem acciperet, & ipse inter uictorem & fugientem quodam modo medius/ad tria millia pas suum exercitũ reduxit, Moschus uero suorum infœlici successu cognito, quod suorum pleriq; desyderati essent, & longe lateq; regij milites ferro flammaq; uastarent, hiemis quoq; mox futuram incõmoditatem considerans, Caduceatore misso belli inducias a rege expostulauit. Stantibusq; inducijs oratores mittendos qui de pace tractarent & conditiones secum dicerent affectauit. At rex qui rebus uniuersis quæ ad reip. ampliationem spectaret nunq̃ deesse uoluit, & ipse periculum perpendebat quod hostis pugnæ copiam detrectaret, quod suorum uirtus contra ligna et paludes frustra exercenda ac conterenda non uideretur, item hyberna prope tempora adessent, quod res Polonicæ regis aduentum non parum postularent, & postremo quod tantus exercitus magno sumptu frustra fatigaretur. Basilij petitis annuit. Ad hoc iter Ioannẽ Sophiam Ruthenum a secretis notarium rex summisit. hunc quoq; Ioannes Siluius Siculus Amatus geographus & orator insignis Græce & latine peritissimus regionis uisendæ causa comitatus est. secuti sunt & pleriq; ex mercatoribus mercandi gratia. Sophia dum ad Basilium uenisset, facile inducias & pacem cum metuente bellum confecit. Res itaq; hoc modo conclusæ fuere, ut stantibus inducijs Basilius ad regem oratores mitteret, qui pacem hijs cõditionibus cum rege perpetuo duraturam firmarent, ut arces iampridem Michaeli Helinskeo parentes aut nuper in deditionẽ acceptæ Lithuanis redderentur. Helinskius rebus omnibus apud Lithuanos exutus apud Basiliũ exularet, Captiui hinc inde dimitterentur. Dimissi tũc fuere ex magnatibus Lithuaniæ uiri insignes diuturna captiuitate apud Moschum cõsumpti Lithaur/ Gregorius alias hrehor Battoslauitz & pleriq; alij. A Moscho itẽ legati qui arces iuxta firmatã pacem restituerent, Helinskij fratres & cõiuges amicosq; Moschouiam perferrent missi, Helinskæi frater Basilius & coniunx illius mœrentes abducti fuere. præterea plerisq; Moschouia carceri adsimilis suspecta fuit, qui fuga sibi consulere maluerũt, ad arcem Odrusko ferme deuenti uenerunt, inter hos Ostaphi miles insignis & Vlricus Schelndorff Helinskij quæstor fuere, ex eo loco Ostaphi accepta fide publica in castra regia peruenit, reliqui obtenta uenia ad regem alij, alij ad Constantinum Ostrowskeũ ducem aliosq; uenere. Quos quidem articulos paulopost Basilius per legatos ratificare data fide promiserat. Hæc regi per Sophiam nunctiata fuere. Qui & postq̃ rex Vilnam peruenisset, supra adscriptis conditionibus cũ Moschorum duce Basilio pactis redijt. Regi uero ex usu uisum erat pacis conditionibus acceptare, quod bello non sine periculo, dubie etiam obtinendũ esset, exercitum propter hiemem iam instantem dimisit. Redijt igitur pars exercitus Vilnam, alia item pars Constantinum ducem uersus Voliniam comitata. Sub illud tẽpus Thartarorũ eruptio in ducatũ Lithuaniæ facta, quorũ partẽ Constantinus dux contriuit. Aliam item partem Polusz miles Ruthenus insignis prostrauit,

Ioannes Sophia. Ioan. Syluius Siculus.

Conditiones pacis.

Thartarorũ in Lithuaniam eruptio.

signis prostrauit, Lucas uero Morauus ducentorum peditum præfectus in terciam Thartarorum aciem casu incidit, Verum cum aut fugiendo aut pugnando moriendum esset, placuit manum imparibus quidem uiribus conserere. iunctis igitur celeriter ut tanta res postulabat curribus propugnaculum fecit, & ad amnem qui Sluskeam arcem præterfluit/pugnam cum Barbaris suscepit, in qua non numero sed industria superior factus est, Thartari abiecta præda/fuga dilapsi sunt, quos dum pedites insequi nõ possent, equites ex Sluskea arce erumpentes adsequuti in locis paludinosis nonnullos suppressere, reliqui fuga sunt saluati, atq; sic Lithuania tunc a Moschorum ac Thartarorum inuasione liberata est. Rex deinde Vilnam die 12 Nouembris peruenit, ibi parum refectis equis Deo opti. maxi. gratiæ pro liberata prouincia habitæ, tum inter hilaritatem ac quieté optimus quisq; pro uirtute sua in hoc bello præstita remuneratus est, tandem in Poloniam comitia ad anni iam initiũ statuta acturus accelerauit. Hic Lithuaniæ atq; demum uniuersæ Sarmatiæ status sub anno salutis 1508 fuisse perhibetur.

Lucæ Moraui pugna.

An. 1509.

PACEM cum Basilio Regis Senatusq; Lithuaniæ assensu firmatam, et sequenti anno ut infra adscribitur/a Basilio per legatos roboratam/Bellum Daciæ seu Valachicum consequutum est. Ante huius initia comitia de more apud Piotrkouiam celebrata sunt. Quibus expletis, Rex 19 Aprilis Craccouiam uenit, Iam inde uisum fuit consortem regniq; sociam quærere, ne eo absumpto/externorũ manibus regnum submitteretur, Missi itaq; legati fuere qui ducis Mekelburgeñ filiam Annam uirginé postularent, Ioannes Lubrantius Poznanieñ Episcopus, Ioannes de Lasko supremus regni Cancellarius & Gnezneñ coadiutor. Christophorus Schydlouitius regni Camerarius. hij cum ad hoc iter accincti/Craccouiam in diebus Iunij egressi essent, subito negocium interceptum est. uel quod deus opti. max. hoc connubium regno Poloniæ infœlix futurum impediret, uel quod factionibus bello Valachico excitato rex alio conuersus, prætermisso matrimonio paulopost alibi inducendus speraretur, certo tamen constat, nullam mutationis consilij causam accessisse/q̃ ut insperatum ita periculosum bellum. Parũ anteaq̃ hæc fierent die 22 Martij Stradomia inter Craccouieñ portam & Vistulæ pontem igne absumpta erat. diuorum Heduigis Agnetis atq; Bernhardini templis relictis, reliqua ex utraq; parte ferme omnia incendio periere, summo etiam labore ipsa urbs Craccouia est a periculo liberata, hijs hoc modo se habentibus circa Iulij mensis initium nunctiatum est regi/Bogdanum Valachiæ Palatinum/contra ius gentium/rupto fœdere/& obedientiæ iugo abiecto. Russiam Podoliaq; exercitu magno ingressum/cœdibus flammisq; omnia explere, hic nunctius regis animum a futuro ut supra narratur connubio contrahendo reuocauit. Igitur regis atq; Senatus edicto arma sumpta, milites stipendijs addicti suscepti, & omnia ad belli necessitatem celeriter parata sunt, peccuniæ ad hoc bellum necessariæ ex aliquibus Craccouieñ ciuibus spontanea uoluntate collectæ. His Ioannes Boner & fidem fecit & partem multo maximam ex suis amicorumq; facultatibus/ne respublica detrimentum haberet/adiunxit. Rex igitur iterum iam domi rebus compositis altera

Bellum Valachicum.

Stradomię conflagratio.

Expeditio in Valachos.

 post festum diui

post festum diui Iacobi die quæ 26 Iulij Graccouiam exiuit per Bochniam, atq; deinde recto itinere Leopolim peruenit, interim Wladislaus rex Pannoniæ fratrem ab incepto nitebatur auertere, uel quod superioribus periculis Alberti regis temporibus acceptis admonitus esset, uel quod depopulata Dacia Hungaris atq; Polonis Thurcum hostem difficiliorem uicinum putaret. Quid horum fuerit non habeo dicere, constat tamen Sigismundum fratris consilio non annuisse, sed neq; bello (tum proditionis atq; cladis qua Ioannes Albertus affectus fuerat memor, tum etiam desiderium cupidine uictoriæ flagrantis animi expleturus) abstinuisse. Anteq̃ rex exercitum parasset & Leopolim applicuisset, Bogdanus Daciæ Palatinus flammis ferroq; loca nec natura nec arte munita, sed & plerumq; hominibus deserta absumpsit. Arcem Halicien̄ frustra tentauit. Exercitum dehinc Leopolim duxit, & prædam potius egit, quam quod obsidione cingeret, a longinquo machinas locauit, atq; globos superne iniecit, accepta uero non modica suorum iactura, tertia qua uenerat die obsidione soluta, exercitum ad propria (eo quod Sigismūdum cū exercitu iam aduentare didicerat) reducere cœpit. Prædam ingentem uasa aurea argenteaq; ex templorum suppellectili, multas etiam æreas campanas abduxit. Rohatin oppidum per deditionem accepit & incendit, heredibus ac populo illius secum abacto. Sigismundus paulopost Leopoli exercitū percensuit, dum rebus febribus correptus adesse nequiret. Nicolaum Camienecium Graccouien̄ Palatinum & præfectum exercituum regni ducem generalem legionibus præfecit. deo opti. max. diuoq; Stanislao patrio sancto, ut hoc bellum sibi & Polonico populo fœlix ac faustum ex usu esset, uota fecit quæ postea adsecutus uictoriam summa fide, ut mihi suo loco dicendum erit persoluit. Nicolaus Camienecius susceptam prouinciā excelso letoq; animo perfœcit, superato Tyra amne Daciam ingressus consimili uicissitudine igne, ferro cœdibusq; Valachiam molestauit. Fuere etiam in eo exercitu milites mercenarij ex Bohemis & Germanis qui sub Sczirneo Bohemo, duce militabāt. Multas ciuitates ac uillas, item curias ac prædia in cineres redegit, in quibus insigniores fuere Czarnowcze, Dorohim, Bothuszanij, Scepanowscze, & Choczim. Dū uero ad longum & per transuersum quæq; uastata essent, atq; ad Sczocauiam Palatini sedem peruentum, frustra res temptaretur, neq; pugnæ copia appareret, Palatino syluis ac nemoribus se occultante. Nicolaus Camienecius exercitum reduxit, in eo ingressu atq; reditu passim uiri fœminæ impuberes senesq; & ipsa pecora quæ ad usum non essent cœsa necataq; fuere, hac clade Wladislaus ab Hungaris ne persuasus, an a Bogdano sollicitatus, non satis constat, legatos ad Sigismundum summisit, qui dictis conditionibus pacem conficerent. Dum ea in re legati operam impendunt, & regius exercitus ad Tyram amnem reductus, iamq; tranatandum esset, & regnicolarū exercitus amnē supasset, mercenario milite & aulicis regijs remanētibus, quibus Thworowsky miles strenuuspræfuit, mox in insidijs Palatini copiæ apparuere. Regij imperculsis animis, ut negocium postulauit aciebus instructis, pugnam parant, quam nec hostes detrectant, utrinq; igitur copijs ad certamen inductis, Palatini exercitus qui & numero inferior erat, fugatus

Bogdanus Valachię Vaiuoda.

Valachię vastatio.

Pugna ad Tyram.

atq; partim

atq; partim captus est. Capti fuere in eo prælio ex magnatibus Palatini multi, ex quibus quinquaginta decollati fuere, supplicium hoc ideo sumptũ, quod olim Stephanus palatinus huius palatini parens mercenarios Polonicos milites in Trebowla captos, postea in Podhaẏcze misere securi percussisset, quorum tumulum cum Nicolaus Camienecius uidisset, lachrymans ulturũ se hanc iniuriam ac miseram mortem uouisse fertur. Triginta ferme captiui insignes Leopolim ducti, inter quos fuere Matthias Logofeth minor. hic habuit officium ex comparatione Vicecancellariatus, humyenieck Kyerza. Magnus dispensator Petryka & Dobrosteph. De hostium uero cæsorum numero non satis constat. Incidit hæc pugna in diui Francisci diem, quarta Octobris, qui deinceps perpetuo Polonis festiuus est institutus. Fuere in Palatini Bogdani exercitu primores Daciæ & nobilitatis robur, ad hoc Thurcarum duo millia equitum fuisse fama fuit. Rediit tandem in Podoliam exercitus, postquã Daciã uiginti ferme diebus uariis cladibus affecerat. Ab eo uero die quo regii Daciam ingressi ad pugnæ iam supra memoratæ diem nullo nũctio rex successus suorum cognouerat. atq; ita in Dacia seu Valachia rebus per exercitum gestis, hieme tunc instante, & Wladislao Hungariæ rege pacem sollicitãte, exercitus dimissus est. Legati Hungarici Oswaldus Karlaczkeus & Barlam bornomisseus collega pacem his cõditionibus firmarũt ut abacta præda redderetur, & damna illata rependerentur. hæcq; per Palatini legatos ad regem summittendos confirmarentur. Atq; hic Valachici tunc belli finis fuit, et Sigismundus in Poloniam reuersus est. Interea dum rex apud Leopolim ægit, Iacobus Schydlouitius Sandomirieñ Castellanus regni Poloniæ Quæstor uita excessit, a fratribus in maiorum sepulchro repositus fuit. Huic Andreas Coszcelecius in quæstura successit. Eo autem anno, Tauricus Cæsar Thartaros Nohaẏsceos inuasit, qui raptis armis Thartaros Przecopieñ seu Thauricos prælio uicerunt, cæsiq; fuere duo Cæsaris nepotes. Terræ motus eo anno maximus fuit. Apud Constantinopolim Baissetus Thurcarum imperator metu nutantium ædificiorum perculsus/relictis mœnibus, sub tentoriis uixit. Per regnum Bossinæ atq; Dalmatiã usq; in Italiam hic terræ motus durauit, apud Clemonam et alibi uidi magnorum ædificiorum ruinas. Hoc etiã anno die 23 Decembris, Maximiliani Romanorum regis legati Craccouiam uenere, Vitus de Furst/& Ioannes Kuchenmeyster legum doctores, relationẽ Vitus latine eleganterq; fecit, postulatum est ea legatione ut comitia pro festo Ioannis Baptistæ apud Poznaniam indicerentur, ubi missis aliis legatis et nunctiis res Prutenicæ per salubria consilia ad cõcordiam reuocarentur. His auditis/in quartumq; mensem retentis, conuentus in Maximiliani gratiam indictus fuit, atq; suo tempore illuc uentum et actũ est, hæc decimi anni narratio postea tradit. his iã enarratis ad res Lithuanicas stilus cõuertendus erit.

Festũ D. Francisci institutũ.

Pacis cõditões

Iac. Schidlouidus Quęstor mortuus.

Terrę motus.

Maximiliani R. Legatio.

BASILIVS IGITVR MOschorum princeps ut pacis expleret conditiones in Lithuaniam misit legatos, qui Vilnam die decimaoctaua Ianuarii tricentis equitibus comitati ingressi sunt, pacem his conditionibus sicuti ãno Millesimo Quingentesimo octauo. per Sophiam regium ad Basiliũ legatum firmatum erat, iuramentis hincinde præstitis perennibus diebus duraturam

Fędus Moschorum.

confirmauerūt, Captiui omnes uinculis liberati, Moschi supra quinquaginta legatis traditi fuere. Præterea litteris res roborata est, & legati cum honore dimissi. Fuere item tunc aliqui ducis Michaelis factionis complices die 19 Ianuarij custodiæ traditi, inter quos insigniores hij fuere Gastoldus ducatus Lithuaniæ quæstor, Michael Koniwsze quæstoris germanus & Michaelis ducis gener, cū quibusdam alijs aulicis Lithuanis, qui genere clari essent, in magnatum ædibus liberali custodia adseruati, obscuræ sortis in Trocēsem arcem ducti sunt. Eo anno in Octobre Basilius Moschorum princeps Plescouiam ciuitatem magnam & arcem per deditionem accepit, eadem urbe patricijs & sacerdotibus græcis prius blandicijs euocatis & seruatis, dehinc uulgus facile illi assentit, in eam diem campana magna adseruabatur qua tumultus excitaretur, simul & plebei conuocarentur, hac dimissa atq; in Moschouiam accepta sine gladio rerū illic potitus est. hæc apud Lithuanos atq; Moschos Anno salutis 1509 sic se habuere, & uniuersæ quidem Sarmatiæ statum huius anni hoc modo se habuisse constat.

Plescouia amissa.

An. 1510

ANNVS uero salutis Millesimus Quingentesimus decimus Sarmatiæ regi multorum Principum legatis insignis atq; memorabilis iam nunc initia summit. Maximiliani legatis apud Craccouiam præstolantibus, die 6 Ianuarij Iacobus Piso uir doctus a Iulio secundo Pontifice max. ad Sigismundum legatus missus Craccouiam uenit. Huius legationis summa fuit, quod Romanus Pontifex totius ferme Europæ principes ad pacem reuocasset, ac ea arma quæ iam pridē in domesticam cladem sumpta essent ad Christianæ reipu. hostem ferre statuisset. Quare & Sigismundum per fidem adhortatus, ut domi consilio rebus pacatis, copias Wladislao iungeret atq; ex Hungariæ Bohemiæ Poloniæq; regnis legionibus proprijs in Thraciam bellum mouerent. Hic aliquamdiu Graccouiæ commoratus. Negociū uero hoc magnum atq; periculosum ad proxima Petrkouiensia comitia reiectum est, Pontificis atq; Maximiliani oratores dum in diuæ uirginis æde eo loco quem urbis consules inter diuina occupant conuenissent. Pontificis legatus per Vitum primo loco pulsus est, dum postea de hac re argueretur Romano Cæsari primum honorem deberi, sed & Pisonem nō pontificis legatum plena potestate agere, sed simplicem nunctium, respondit. Iam tunc comitia apud Petrkouiam habita, oratorum postulationes ad Senatum delatæ, Maximiliani oratores cum promisso conuentionis futuræ apud Poznaniam, postq; quattuor mensibus retenti fuissent, honorifice donati a rege dimissi sunt. Ad Wlatislaum uero Hungariæ regem legati missi qui comunicato consilio super bellica expeditione in Thraciam, ut deinde Pontifici responderetur. Legationis munus Ioannes de Lasko regni Cancellarius & Gneznēn coadiutor, & Nicolaus Firleius palatinus Lublineñ subierunt. Rege cum Senatu apud Petrkouiam agente quarta Februarij 1510. Danorum seu Daciæ Regis legatus Graccouiam uenit. hic a Ioanne Bonero cum alijs legatis ad regis aduentum præstolari iussus, Auditus deinde, Danorum regis filio inclytam Elizabeth Sigismundi sororem uirginem in coniugem postulauit, Illa dum maris pericula metueret, atq; apud parentum ossa iucūdius

Ro. Pontificis legatio

Cęsarianorum & Pontificiorū oratorū contentio.

1510

Danica legatio.

manere duceret matrimonium recusauit. Legatus uero honorifice donatus & dimissus est. Paulopostq̃ ille ingressus est urbem Craccouieñ die 16 Februarij, Oswaldus Karlaczkeus cum collega regis Pannoniæ legati, qui nuper inter regem & Palatinum Daciæ pacem firmauerant, Graccouiam ingressi, ut cũ Bogdani legatis conditiones pacis confirmarent. In ipso ingressu Ioannis Boneri præsentia ingens periculum auersum fuit. Nam dum Karlaczkeus in hospitium illi consignatum ingressus esset, domus illi contigua quæ Mazouiæ ducum est, & tunc ab Althofio incoleretur ab illo expetebatur. Dum uero hospes reniteretur, conuocata familia admoto trunco portã ui infringere conatus est, Althofius metu periculi perculsus uiolentiæ iniuriã exclamauit, mox uulgo accurente, parum interfuit, quin lugendum facinus patratum fuisset. Ioannes Bonerus casu reipub. negocijs postulantibus pauloante prætorium ascenderat, Is re cognita, festinãter tumultui se immiscens periculum auertit. Decima de hinc mensis Martij Baisseti Thurcarum Cæsaris legatus Craccouiam uenit, Huius legationis summa fuit. postq̃ Sigismundo Regi munera Thurcarum imperatoris obtulit Baisseti nomine, quod in paternum ac auitum regnum euectus esset congratulatus est, optans ut hæc sceptra diu gestaret. ac reipublicæ fœliciter in nominis sui gloriam præesset. Cupiens cum eo fœdus (quod cum parente ac fratribus Polonici populi regibus obseruasset) firmare. Post hunc Bogdani Palatini Valachiæ legati uti in pacis conditionibus cautum fuerat 12 Martij uenerunt, hi uero quando magis necessarium uideretur primum auditi, die quarta postq̃ aduenerant regem adierunt, deferebant tunc templorum abactam suppellectilem, & ea quæ præda ex Russia aurea argenteaq; receperant, Manu missi sunt item hæredes Rohatin oppidi, item populi districtus illius, & hij quoq; palatini proceres qui ex proxima pugna capti Leopoli tenti fuerant, confirmata pace simul cum Wladislai legatis dimissi, per Hungariam in Daciam redierunt, eadem prius quæ cum Polonis pace confirmata. Tredecima de hinc mensis Maij a Wladislao Hungariæ rege Craccouiam uenit Præpositus Alberegalis legatus, Bogdanus item Palatinus Valachiæ legatũ misit, cuius legationis summa de Thraciæ rebus erat. Venit paulopost Craccouiam legatus Basilij ducis Moschorũ de rebus adhuc Lithuaniæ & Moschouiæ acturus. Hunc Thaurici Cæsaris legati sequuti fœdus cum Kazimiro antiquitus seruatum renouare postulantes. Eo anno die 20 Aprilis Andreas Roza Archiepiscopus Gnezneñ morte absumptus est, huic Ioannes Laskeus regni supremus Cancellarius & regis assensu iampridem coadiutor successit, die dehinc 23 Maij per regem confirmatus est. His iam proxime accessit Poznaniæ pro diui Ioannis die institutus conuentus. Conuenere itaq; Maximiliani Romanorum regis & imperij legati Abbas Fuldensis & Comes de Manffeldt cũ alijs collegis. Wladislai Hungariæ et Bohemiæ regis legatus, Ioannes Thurzo Episcopus Wratislauieñ. A Sigismũdo rege atq; Senatu summissi fuere Ioãnes Laskeus Archiepiscopus Gnezneñ & regni Poloniæ primas. Vincẽtius Przerampski Wladislauieñ, Ioãnes Lubrãtius Poznanieñ, & Lucas Warmieñ Episcopi. Andreas Samotuleius Pozna. Gardzina Calisieñ Palatini, Lucas de Gorka Poznani. Pam-

Tumultus pacatus.

Legatio Thurcica.

Valachica legatio.

Varij legati.

Andreę Archiepiscopi Gnezneñ mors.

Poznaniensis Conuentus.

Rerũ Prutenicarũ tractatio

powskeus Mariemburgeñ præfecti. A magistro Prussiæ & Federico Saxoniæ duce & ordine legati fuere Iobus Episcopus Pomesanieñ & alij ordinis Comendatores collegæ, his itaq; conuenientibus aliquandiu dubia spe consultum fuit, donec tandem infecta re discessum est. Negocij summa, legatorũ ordinis & sociorum fuit, ut Prussia tota simul & Pomerania ordini restituerentur, item ut ab homagio a Polonis liberarentur, tertio loco ut expeditiones bellicas cum Polonis non subirent, postremo ut Poloni ad ordinem non assumerentur, ad hoc ultimum facile assensum Poloni præbuere, reliqua a Polonico senatu ut indigna uisa sunt, ita penitus reiecta fuere. Non solũ hæc Polonis summo iure possessa seruanda fore, uerumetiam ab ipso ordinis præfecto seu Magistro secundum fœderis supra duas ætates seruati uim, homagium postularunt, Quod dum nec ordini acceptum esset, induciæ quibus magister super homagio non molestaretur petitæ fuere. Sed nec hac spe consolati, legati infectis, ut supra narratur rebus, ad propria rediere. Ad hoc negociũ Iulius secundus Romanus pontifex Achillem de Grassis legatum summiserat, qui aut itineris longinquitate aut quia tardius prouinciã suscepisset rem neglexit, nihilominus Craccouiã ad Sigismundũ regẽ peruenit, urbẽ in principio mensis Augusti ingresśus, paulopost a rege et senatu auditus est. Is dum prouinciam ad quam delegatus esset neglectam uideret, totius legationis summam Iacobi Pisonis negocium fœcit, summo conatu ut regem cum fratre Wladislao in Thurcas animaret laborauit. At dum Rex & Senatus eam expeditionem nihil firmitatis habere censerent, non ex regni usu fore cũ Thurca negocium facere decretum est, accessit ad hoc quod iamprid em Thurcarum imperator Sarmatis pacis iuramẽtum transmiserat, contra ius gentium esse uisum si Poloni etiam ethnico principi fidem uiolarẽt, sed hoc quoq; ingens periculũ fuisset Thurcarũ arma ab alienis bellis auocare et in propria uiscera conuertere, ubi si uictoriam deus fauisset, omnium principum epistolis summe eleganterq; congratulatum fuisset, sed & summi præsulis benedictio Apostolica non defuisset (hæc quondam Wladislao ante Varnensem pugnã acciderunt) uerũ si armis res inferior fuisset, sero auxilia a Romano pontifice quærenda, qui ea ætate totam Italiam bellis periculisq; commiscebat atq; hinc forte supremũ auxilium fore si Sarmaticæ res deperditæ apud Romanos lugerentur. Hæc dum in Senatu forte altius repetita fuere Thurcis fœdus seruatum est, atq; Achilles a rege honoratus donatusq; in fine septembris Poloniã excessit, paulopost a Iulio Cardinei ordinis patribus adscriptus Regnum Poloniæ in hanc diem tutandum suscepit. Hæc Poznanieñ conuentus summa fuit. Interea dum hæc apud Polonos aguntur Thaurici Tartari pristinæ cladis memores arma corripiunt atq; Cæsarem Nohajsczeum inuadunt, unoq; prælio uicerunt, præda abacta in propria redierũt. Eo prælio tantam fœminarum puerorumq; uim abegisse feruntur ut ex Nohaisceis essent qui sponte eos sequuti societatem & hospitia susciperent. Apud Craccouiam in Velicieñ oppido, in cauerna montium salinarum homo nequam laborator montanus exeundo ignem ipsis cauernis iniecerat. quo exuscitato montes fumo atq; fœtore repleti, pleriq; ex laboratoribus dum fumo impedirentur aberrantes

Teutenorũ postulata.

Achilles de Grassis.

Thurcicę expeditionis consultatio.

Tauricorum in Nohaisçeos Tar. expeditio

Incendiũ salinarũ Velicieñ.

direntur aberrantes in ipsis cauernis aut colla fregere aut suffocati sunt. Andreas Coscielecius salinarum tunc præfectus, metu perculsus, periculo se ingenti exposuit. dum enim ex obscuris etiam nemo esset qui descēdere uellet, ipse accinctus ut rem saluaret descendit, Eum comitatus est Seuerinus Bethmanus Consul Craccouieñ ferme nonagenarius, homo uenerāda canicie montium magister, qui Andream iam fumo delapsum in montis summa profunditate seruauit, nihilominus utriusq; postea industria ignis extinctus/ & montes in maximo discrimine positi amborum diligenti opera seruati sunt. Deinde septima Nouembris Bogdani Palatini legatus Craccouiam uenit, huius legationis summa fuit, ut rex auxilia contra Tauricos Thartaros illi summitteret, utq; ad Basilium Moschorum ducem legatum per Sarmatiam transmittere possit, hæc ut mox promissa ita seruata fuere, legatusq; dimissus est. Legato Bogdani uix dum expedito Imbremus Thurcarum imperatoris legatus 24 Nouembris Craccouiam uenit, hic auditus Regis iuramentum ad seruandam unius anni pacem postulauit, hoc nuper Thurcarā imperator corā Andrea Scarzeowskeo regio notario fecerat, & hoc mox obtentū, legatus muneratus dimissus est. Hic annus Prussiæ rebus nihil memorabile addit. hoc uno narrando/apud Marchionatum Misniæ Federicū Saxoniæ ducē Magistrum ordinis & Madeburgeñ Coadiutorem morte extinctū esse, hic post Ioannem de Tyffenn apud Leopolim in regni subsidijs mortuum/ad ordinis magistratū Ioannis Alberti assensu assumptus fuit. sed homagium præstare recusans, dum res quasi supremam necessitatem attigisset/Prussiam exiuit, atq; in Misnia mortus est. huic per electionem Albertus Federici Brandeburgeñ Marchionis ex Sigismundi sorore filius successit, de quo infra scribendum ueniet. Res quoq; Lithuanicæ ad ultimum anni tempus quietæ fuere. in quo Thaurici Tartari ducatum illum ingressi, usq; Vilnam & dehinc duodecim millibus passuum grassati ingentem hominum pecorumq; uim/nemine prohibente abegerunt, his fœlicibus successibus animati, in Daciam eruptionem fecerunt. Daciam autem multis locis uarijs cladibus affecerunt, ingenti præda conlecta ad Przecopiam redire conati, ea eruptione supra septuagita millia hominum atq; pecorum abacta fama feruntur, dum autem ad Tyræ amnis ripam uenissent, metu Dacorum sequentium territi, tumultuosius flumine tranatato Pethikercus Cæsaris filius cum aliquot Thartarorum millibus & multis captiuis ab aquis absorptus est. Interea Copacius palatini militiæ præfectus paucis conlectis militibus Thartaros eo in loco abeuntes adsequutus est. præliū pertinatius q̄ prudētius incepit, hostibus circūseptus uiriliter pugnās occisus ē, Cecidere Valachi plus septingēti, fuere itē p fugā circiter trecenti seruati, atq; ita Tartari magis aqs q̄ hostib⁹ afflicti ad ꝑpria redierūt. Hoc anno in quadragesima Iulius secūdus Ro. Pontifex Iubilei gratiā ꝓ fabrica Basilicæ s. Petri Romæ in Poloniā destinauit, Ea res initio nō successerat, ne uero frustra tentata esset, reip. duæ/& pontifici una pecuniarum summæ partes seu tertiæ admissæ, duæ partes integræ in reipu. defensionem contra Tartaros erogatæ, terciam Fuggari mercatores summi pontificis iussu perceperunt, cessit in hanc gratiam summa non modica. At magis forte Po

Legatus Valachicus.

Turcicus orator.

Res quædam Prussicæ.

Tauricorū Tartaro. in Lithuani, ac Valachiā excursio.

Iubilei indulgentiæ.

lonicis rebus ex usu erat, arces in cõfinibus gentiliũ ꝑ reip. Christianæ defen sióe extruere, q̃ pecunias Romã mittere, & ut diui Petri tẽplũ (postea nunq̃ ædificandum forte) dirueretur occasionem præbere. Hoc mihi certo constat supra partem quæ reipublicæ cessit, sumptus maximos esse factos, atq; annis singulis ærarium in eum usum exhauriri. Hic Anno ab orbe redempto deci/mo supra Millesimum quingentesimum rerum status fuit.

Annus.1511.

ANno sequenti 1511 hæc memorabilia adscribẽtur. In ipsius ferme anni initijs apud Peterkouiam comitia pro Februario de more habita sunt, in his ad ærarium publicũ tum ex spiritualibus tum etiam ex sæcularibus exactiones uariæ decretæ fuere. Sed & Se/natus monetariam officinam claudere & a labore cessare uoluit, eo quod mo neta argentea crescente carius aurei redimendi essent, estq; postea pro festo Pentecostes cessatũ. In his comitijs Anna dux & tutrix Mazouiæ cũ duobus filijs Mazouiæ ducibus Stanislao ac Ioanne regem adijt, & regis Senatusq; permissione Visznẽ prouinciam Mazouiæ uicinam, ex manibus Ioannis de Lazko Archiepiscopi tutoris rerum quondam affinis sui Glinka duodecim florenorum millibus redimere obtinuit. Interea dum rex apud Peterkouiam ageret Wladislaus pater & Ludouicus filius Hungariæ & Boemiæ reges qui Wratislauiam die 29 Ianuarij ingressi fuerant, totum tempus in homagijs a Silesitanis suscipiendis absumpsere. Hungaricus senatus ut Hungariæ regi/bus præstandum contendebat. Boemis uero nihil odiosius esse uidebatur, qui Boemorum regi hoc munus deberi certabant. Hinc & principes Silesiæ & Senatus Wratislauiensium inter spem metumq; diu ancipites, neutrũ fecere. Rex itaq; infectis rebus cũ filio die 15 Martij Wratislauiã excessit. Eo anno Silesia plurimis latrocinijs atq; deprædatióibus afflicta fuit. Wladislaus ue ro apud Wratislauiam agens, Senatus populiq; Wratislauiẽ exorationibus uictus Emporium quod a priscis principibus obtinuisse astruebãt, renouauit. miris animis Senatus in eã rẽ euectus erat, sed nec uulgus nouarũ rerũ studi/osũ malã spem præbuit. Fuit hæc nouitas eo anno diebus Aprilis in ferijs, seu (ut uocãt) nundinis quadragesimalibus apud Francofordiam ad Menum, me tũc coram audiẽte, & deinceps per totam Germaniam publicata, fuere mul ti qui Wratislauiensibus bene sperandum censerent, uel hoc ex proprio com modo ut rem priuatam augerent, uel ex concepto in Wratislauiẽ liuore, quod illorum opes paucis circumactis annis ampliatæ, suspectæq; essent, uel etiam quod Sarmatis hæc res nonnihil incommodi adferre uisa, in supremũ despectum fieret, his itaq; firmitatibus Wratislauiẽ suffulti, emporium pu/blicarunt. Cuius hæc summa fuit, ut nec Poloni nec Germani Wratislauiam mercandi gratia præterirent, sed ea urbs utriusq; gentis mertiũ limites face/ret, hæc ut firmiora eẽnt Ioachimus Brandeburgẽ Marchio a Wratislauiẽ negocio adscitus apud Francofordiam oppidum, ad Guttalum amnem quẽ Oderam uocant situm consimile emporium erexit, ut undiq; uijs interclusis Poloni summa mercium necessitate rebus assentire cogerentur, hæc res inter Wratislauiẽ & Marchionem pignore sedecim millium aureorum (ut fama erat) firmata fuit. Wladislaus nonnihil paterni regni oblitus, ab his q̃bus oĩa uenalia sunt/

Comitia Peter kouieñ.

Contentio de Silesitico Homagio.

1511

Emporiũ Vra/tislauieñ.

uenalia sunt/inductus, certis litterarũ munimentis in omnibus regnis ac principatibus suis emporium obseruãdum præcepit. Interea dum hæc Wratislauieñ summo studio agerent, Sigismundus rex Senatus cõsulto per uniuersum Sarmatiæ regnum comertia cum Wratislauieñ prohibuit. Wratislauieñ itẽ ab ingressu in Poloniam fines interclusi, atq; hæc summa seueritate custodita fuere. Wratislauieñ qui negocium maximis pecuniarum summis confecerant, hinc operis & impẽsæ iacturam, hinc quoq; reipublicæ interitum si Polonorum comertia intercepta essent cognouerunt, sed nec ultimũ periculum animos auocauit, quin in quartum annum maximis sumptibus rem tuerẽtur. Verum dum hæc Poloni mercatores cognoscerẽt, per Boemiæ regnum iter fecere, quod item Poloniæ regno etiã nũc, si itinerum securitas adseruaretur, multo maxime expediret. Laboratum est apud Boemos miris modis ut Polonos interciperent, & Wratislauieñ priuilegia rata haberent. Boemi uero Sigismundi gratia, & priuato cõmodo permoti, Polonos per uniuersum regnũ tutandos suscepere. Hæc emporij initia fuere, cuius finis anno quintodecimo adscribetur. Comitijs apud Peterkouiam peractis, Sigismundus Craccouiã redijt, inde secunda Maij egressus Brescium oppidum Lithuaniæ peruenit, sed rerum illic gestarum seriem in rebus Lithuanicis adscripturus sum. rebus uti ex usu uisum est apud Brescium cõpositis/in Poloniam redijt, tricesimaq; die Octobris Craccouiam intrauit. Interea dum rex apud Lithuanos ageret, Heduigis dux Tesznẽ relicta quondã Stephani Scepusiæ Comitis consors/ priuatis consilijs de futuro connubio agere cœpit. Dum rex Cracouiã ingressus esset, paulopost Kazimirus Tesznẽ dux frater Heduigis simul cum Wladislai legato Michaele Hanel archipresbytero Budeñ ad regem uenit, eo iã tempore apud Sigismundum de matrimonio cum Barbara uirgine Stephani Comitis filia consultum & conclusum fuit, tandem ad ultimos Nouembris dies in uulgus res delata est, non defuere qui maximis præconijs hoc matrimonium extollerent, & uti fœlix futurum suscipiendum persuaderent. Fuere item qui hoc consilium uti iniquum & non ex reip. commodo futurum detestarentur, & ut quisq; affectus negocio erat, ita consilium suscepit. Cæterum constat felix faustum omniq; ex parte beatum fuisse matrimonium, si non immatura morte & uirilis prolis defectu infœlicẽ sortitum fuisset euentũ. Atq; hinc Maximiliani Romani Cæsaris odij initium cœpit, quod tanto acceptius Polonis erat, quanto ex iam prope hoste/deus optimus max. qui hominũ mentes semper dirigit/paulopost maiorem fecerit amicum. Eo firmato certis conditionibus matrimonio, legati cum muneribus dimissi fuere, quod ad hoc matrimoniũ superest Annus duodecimus supra Millesimum & Quingẽtesimũ excipiet. Res item Prutenicæ pace atq; tranquillitate hoc anno administratæ fuere. Verum externum sed egregium facinus ad res forte Sarmaticas minime pertinens apud Gdanum mẽse Augusto patratum fuit, his rebus/quia tam prope commissum, non ab re immiscẽdum. Est ad Balthei maris sinum Lubecum imperij Romani opibus armisq; pollens oppidum, hoc a Polonorum quondam maioribus (ut uetustates eorum habent) conditum Buccouecium fuit appellatum, supra septingentos forte annos ea prouincia

De Regio matrimonio consultatio.

1512

Lubecum.

Caroli magni

Caroli magni armis subacta esse perhibetur, utcunq; Lubecum conditũ credatur. constat imperij urbem esse atq; cum Danorum regibus multa uariaq; bella habuisse, uetustæ horum cũ rege simultates hoc quoq; anno renouatæ fuere. Lubecenses excelsis animis regem sumptis armis, uarijs multisq; cladibus affecere. toto negocio in marinum bellum uerso, res eo peruenit, ut Hollandiæ nautæ Gdanum, pro diui Dominici die, qui feriarum tempus illuc inducit, hoc mare quod Lubeceñ atq; Danorum regi comune est, nauigarent. fama fuit Lubeceñ hos ne regiũ sinum attingerent monuisse. et omnes qui regem adirent cõmunes fore hostes docuisse. Verum rex nautas nihil metuendum esse animauit, atq; ita Lubeceñ uis ab Hollandis derisa fuit, Lubecenses impigre tum classem parant, quam constat uigintiquinq; triremes non excessisse, has bonis refertas militibus, additis ad hunc usum necessarijs Iulio mense in altum dimisere. Ventum est dehinc secundis uelis ferme medio Augusto ad Hael Poloniæ regis oppidum, hic iam Hollandiæ naues multo Fuggarorum Germaniæ mercatorum cupro alijsq; aliorum mercibus onustæ fuere. nihil nisi aeris tranquillitatem atq; Danorum regis suppetias expectantes. Tum Lubeceñ secundo habito uento summo mane sopitos Hollandos in summa periculi securitate repentino tumultu perterritos inuadunt. Prima itaq; eruptione Hollandi regis suppetias rati, dehinc clamore excitato hostibus cognitis, uniuersæ naues fuga sibi consulere statuerunt, atq; ita quattuor ferme millibus passuum ad Gdanensem portum naues in alto dispersæ. mox Lubecensibus sine negocio uictoria cessit, in ea fuga naues plus quadraginta aut igne absumptæ aut mersæ fuere. Captæ sunt item (ut fama est) sexaginta octo naues. Reliquæ eleuatis uelis uel per altum euaserunt, aut Gdaneñ portum non sine incommodo attigerunt. tantum Lubeceñ ex fugientibus nauibus capere licuit quantum lubuit, & commode ducere potuerũt. Rebus itaq; fœliciter gestis Lubecum summa ciuium congratulatione ingenti parta præda salui peruenere. Acceptæ fuere plurimæ merces, multo maxima tum pars Fuggarorũ fuit, cuprum per Istulam amnem ratibus paulo ante ex Craccouia dimissum. hoc successu Graccouiam delato Sigismũdus rex Lubeceñ epistola pro restitutione fuggaricarum mercium admonuit. Suscepit hanc rem Maximilianus Romanorum imperator. missi item fuere ad Lubeceñ senatũ et populum legati, summo studio longo tempore negocium actum est, ad extremum fuggaris pars cupri restituta fuit, sed nec hoc sine magna iactura, a plerisq; sub certa summa traditur. ego uel ex fuggarorũ familia paucissimis cognitũ fuisse crediderim. Hic ferme Poloniæ status fuit. Rusia hoc anno atq; Podolia a Thartarorum eruptionibus libera fuit, quod fœdus proxime apud Bresceum Lithuaniæ oppidum cum rege (ut mox infra in Lithuanicis rebus adscripturus sum) renouandum foret. Cæterum gens fera, raptu uiuere solita nihil minus q̃ pacem ferre potest, contractis copijs plus triginta millibus equitum Daciam inuasit. Bogdanus mox collecto ex suis exercitu his obuium se facere cõstituit, iunctæ sunt illi Sarmaticæ auxiliares copiæ Stanislao Lanczkroneo & Tworowkeo ducibus quattuor millibus equitum, accessit item illi Hungarorum subsidium supra octingentos uelites. his Bogdanus

Lubecensium facinus.

Tartarorum in Valachiã eruptio.

stipẽdia merentes

stipendia merentes ex Thracia leuis armaturæ milites asciuit, uniuerso exercitu celeriter congregato, spes ingẽs uictoriæ tenebat. Interea dum Nohaicei Tartari Thauricos in Daciam erupisse cognouissent, sumptis festinanter armis in Tauricam peruenere, cœde multa patrata, res celeriter Thauricis delata est, relictis itaq; externis rebus, ad propria tuenda animus euectus est. & sic alieno periculo Dacia ingenti clade liberata fuit. Verũ anteaq̃ Taurici domum rediissent hostes patrato damno dilapsi sunt. Dum extra fines digressus sum licebit forte hoc loco Turcarum successus referre, circumactus tunc annus erat quo Salembus Baisseti filius Caffam olim Ianuensium urbem patris imperio ereptam in deditionem acceperat, his in parentem non satiatus malis, hoc anno Albam (quam Bialogrod uocant) Kiliamq; intercepit. Quom uero Sophi Persarum imperator multis uariisq; uictoriis cõtra Baissetũ hoc anno triumphasset, euq; supremis sæpe præliis uicisset, Baissetus relicta Constãtinopolis sede Adrianopolim migrauit. Quo cognito Salembus in patrem arma sumpsit, cognouit quoq; hæc Baissetus, contractisq; legionibus filii exercitum excepit. Post uiolentam pugnam Baisseto uictoria cessit, & Salembus cum Thaurici imperatoris filio paucisq; militibus fuga seruatus est. Paulopost Anno 1512. patris assensu Salembus imperium & Turcarum rempub. tutandam suscepit. Baissetus natiuum solum Hamandatũ oppidum delegit. ubi altera die qua aduectus morte extinctus est. Quo iam morte sublato Salembo Ahmattus frater pro imperio negocium fœcit, conlecto ingenti exercitu, adscitis etiam Persarum imperatoris auxiliariis copiis, fortunam uniuersali prælio commisit. Post funestam pugnam uictoria Salembo cessit, qui captum fratrem nulla pietate comotus securi percussit, sunt tamen qui strangulatum esse perhibeant, atq; ita post multas crudelitates imperium adeptus est. Fertur ante hanc pugnam Wladislai Hungariæ regis legatum audiuisse, cui dũ responsum præstolaretur, Salembus hæc uerba dixisse traditur, nullo egere responso, iã præsentis fortunæ successus expectandos, ex euẽtu satis postea responsum fore. sed parta uictoria nihilominus legatum retinuit, atq; in uniuersas de hinc expeditiones deduxit, nec dimissus nisi post totã subactam Syriam, Anno 1519, in Iulio ad Ludouicum rediit. Ex ea quoq; uictoria Salembi, ex necato fratre nepos seruatus in Persiam peruenit, huic Sophi filiam in matrimonium tradidisse perhibetur. hic postea Salembum multimodis cladibus semper uictor molestauit, hac parta uictoria Salembus Laskowskeum genere Sarmatã ex mosziskeo oppido Russiæ aduocato (ut uocant) natum ad Sigismundum regem legatum summisit, qui relicta Christiana fide, ad Mahumeti errores abierat, hic breuissima oratione Turcarum lingua per interpretem in hæc uerba loquutus est, Salembus Turcarũ nouus imperator pacem eam tecum Sigismunde rex, quam auus & pater eius seruarunt uult tenere. Inciderunt hæc in annum salutis Millesimum Quingentesimum duodecimũ, ad dies Iulii. Is paulopost absolutus, in fine mensis Augusti Craccouiam egressus est. hic duorum ferme annorum Turcarum successus fuit.

Caffa per Salembum intercepta.

Salembi cum Baisseto patre bellum.

Baisseti mors. 1512

Ahmattus Salembi frater.

1519

Laskowskeus Turcicus orator.

NVNC ad res Lithuanicas illisq; uicinas stilus uertendus est. Rex dum Bresceum ut supra narratur peruenit, mox uotis Poloniæ Lithuaniæq; senatus

assentiens, eos

assentiens, eos qui superiori anno custodiæ propter Helinskei factiones tradi tæ fuerãt, ademptis uinculis in pristinam gratiam suscepit. Dein Mendligeri Thaurici imperatoris legati aliquamdiu expectati, is filium atq; nepotem obsides ex pacto summittere, singulis item annis contra regni Sarmatiæ hostes arma suscipere debuit. Tum rex Sigismũdus illi uicissim annuatim quindecim aureorum millia pro stipendio persoluere assentit, huius medium Polonia, reliquum Lithuania adnumerarent. hæc aliquamdiu hoc pacto soluta fuere. uerum Mendligerus fidei oblitus nec obsides misit, sed Daciæ Palatinum Polonis feudalem, uti supra narratur, magno exercitu inuasit, qua eruptione non satiatus ingentes copias in Basilij Moschorum principis ducatum induxit, eũq; incredibili clade ingenti abacta præda afflixit, Hicq; iam rerum gestarum Anni undecimi supra millesimum quingentesimũ finis fuit.

Fœdus Tartari cum.

Mendligeri perfidia.

An. 1512

ANNVS dehinc duodecimus supra Millesimum Quingentesimum, Sigismundi nuptijs celebris fuit, in ipsisq; anni initijs apud Craccouiam comitium regis iussu indictũ est. fuere item ad Barbaram regiam sponsam legati designati / Ioãnes Lubrantius Poznanieñ Episcopus, Christophorus Schidlouicius Castellanus Sandomirieñ, et Lucas de Gorka Poznanieñ & maioris Poloniæ Capitaneus, hi splendido ornatu Poloniã egressi, per Silesiam Morauiamq; Tranczinum uenere. noua suscepta sponsa in Poloniam iter diuerterunt. Hanc Heduigis genitrix / Ioannes frater / Kazimirus dux Tessineñ auunculus usq; Craccouiam octingentis equis comitati fuere, confecto itaq; itinere quinta februarij apud Morauicum pagum nocturna habuit, summo dehinc mane feria sexta & idem 6 Februarij, Sigismundus instructissimis copijs comitatus, sponsæ nouæ (uehiculo uectus quod niues maximæ, & intensum frigus esset) obuiam egressus est, comitati fuere Sigismundum pleriq; ex aduenis legatis atq; oratoribus, Inter hos Ioannes Staphileus auditor rotæ legatus Apostolicus uir excellentis ingenij atq; doctrinæ, qui mecum postea familiariter sæpius multa commentabatur. Elizabet uirgo Sigismundi soror, suo quoq; uehiculo uecta / Anna dux tutrix Mazouiæ. aliæ item magnatum honestæ illustresq; fœminæ. Fuere tunc tentoria apud Lobsouium ad Septentrionem fixa, terra item rubro panno constrata, hoc in loco rex sponsam nouã expectabat, paulopostquã illuc peruentum esset / Georgium Bregensem ducem / ad regias nuptias euocatum, septuaginta equitibus armis undiq; splendentibus comitatum, rex hilari uultu excepit. Tandem in multum diem regia sponsa curru a Wladislao Hungariæ rege ad hoc misso ad regem uecta fuit. dumq; illa ex curru in terram prosiliret per pannum ad hoc stratum regi obuiam uenit. Excepta fuit uulgari primum oratione per Ioannem Laskeum Archipræsulem Gnezneñ, hac expleta, Ioannes Staphileus Apostolicus legatus eleganti latina oratione huic matrimonio uotis omnibus fœlicitatem beatumq; euentum precatus est. Rex exceptam sponsam uehiculo assumpsit, atq; inde in urbem Craccouieñ deducta est. Patrum Gymnasij Craccouieñ collegium apud Cleopardiam Barbaram sponsam regiam breuiuscula oratione excepit, Senatus Populusq; Craccouieñ omni ueneratione ac honore hũc ingressum honestauit. In arcem quæ urbi imminet

Legati .p Barbara regina:

Occursus Regis.

Regis Comitatus.

Exceptio Barbaræ.

urbi imminet inclinato iam die sponsa peruenit,atq; ibidem per Matthiam Dreuitium Episcopum Premislień excepta,hincq; in aulam ad hæc decoratam introducta.postridie dominico in Septuagesima quæ octaua Februarij erat,maiorum more in diui Wenceslai æde Barbara uirgo in reginam Poloniæ coronata fuit, munus consecrationis Ioannes Laskeus Archiepiscopus Gnezneń exequutus est/adfuere his cerimonijs Bernhardinus Archiepiscopus Leopolień/Ioannes Lubrantius Poznanień/Erasmus Vitellius Plocen/Lucas Warmień/Matthias Dreuitius Premisliensis,Nicolaus Coscieletius Chelmeń/Ioannes Amicinus Laodiceń Craccouień Suffraganeus Episcopi. Præterea Abbates de more uetusto his rebus adesse soliti,fuere item ad huius coronatiōis maiestatem ampliandā/summi pontificis legatus,Ioánes Staphilæus Iurisperitus uir insignis. Wladislai Hungariæ & Bohemiæ legati/Ioannes Thurzo Wratislauień Episcopus,Ambrosius Szarkanus Hungarus Collega.Iobus Episcopus Pomezanień ordinis sanctæ Mariæ domus Theutonicorū cū collega ex Prussijs. Georgius dux Bregeń/Bartholomæus dux Silesiæ/Anna dux Mazouiæ cum filio/Dux relicta Ratiboriæ,horum quoq; legati huic coronationi interfuere. Thomæ Cardinalis Episcopi Strigonień Patriarchæ constantinopolitani duo,Georgij quinq; ecclesień duo. Episcopi Coloceń unus,Episcopi Waradień duo,Episcopi Olomuceń duo,Georgij ducis Saxoniæ Ioannes de Schonbergk unus,Federici Marchionis Brandeburgeń duo,Decanus de Anspachio & Philippus de Feltsch miles,Palatini Hungariæ duo,Palatini Daciæ unus,& plerique alij. Sacris rite peractis conuiuijs tempora solita data fuere,hincq; suis diebus hastarum ludi militiæ exercitia choreæ & id genus leticiæ fuit.Ioánes Rechemberger Slesian9 apud Sigismundum ueteranus miles hastarum ludo præmium uictoriæ primo loco adsequutus est.Secundo loco Ioannes Tarlo Polonus strenuus miles,hospitibus rerum omnium necessitas regia liberalitate præstita fuit.Leticia autem omnium applausu expleta,summi pontificis regum atq; principum legati & oratores summis honoribus uenerati muneribus dotati sunt & dimissi.Barbaræ mater Heduigis,Ioánes frater & Kazimirus auunculus cū Wladislao filio speciali humanitate atq; liberalitate longius adseruati,tandē ad ꝓpria rediere, magnates itē regni utriusq; status & sexus aulici etiā regij oēs a rege singuli munerati fuere,hæc primi Sigismundi connubij Barbaræq; coronationis series,iāq; tūc Sarmatis regina esse cepit.Aucta hinc fortuna Polonis dū illa principis plusq̄ cuiq; credibile uoluntatibus semper accessit,pariq; clementia quod toto regno intercluditur uera Hester pietate summa tutata est,uirtutibus omnibus redimita,specie formosa,uitæ sanctimonia atq; religionis cultu clara,his uirtutibus hoc summū adiecit monimentum,ut hos quibus præesse deo opti.maximo fortunaq; fauente concessum fuerat,nō metu terroreq; supprimeret,sed pietatis clementiæq; beneficijs in contemplationem sui priscis abiectis moribus patrijs uirtuosis ritibus se conformans totis animis eueheret,iusta sed nō nimia seueritate importabilis,clemēs sed nusq̄ uicijs patrocinata,per omnes fortunæ casus innocētissima uita ad extremos usq; dies uenit.Initio ut supra narratur hoc matrimonium plerisq; domi forisq; odiosum

Coronatio Barbarę Reg.

Pręsentes in coronatione.

Ordo pręmiorum victorię. Ioānes Rechenberger I.

Barbarę Reginę laus.

fuit, paulopost ut frugi ita omnibus gratum esse cœpit. Hactenus de Barbara regina parcissime uerissime tamē pauca adscribere uolui. Rerum iam Prutenicarum nullum erit negocium donec anni quintidecimi supra Millesimū Quingentesimum narrationem suscepero illicq; sub compendio quæ interea absumpto Federico Prussiæ Magistro ad illud tempus gesta sunt enarrabo.

1515

Tartarorum in Russiam expeditio.

Iam interim quæ apud Ruthenos hoc anno gesta fuere hoc loco referre negociū postulat. Postq̄ Barbaræ reginæ coronationis munus expletū est, hincq; legati dimissi, paulopost Regi atq; Senatui Thaurici Cæsaris. i. Przecopeñ. legiones plures 25 millibus equitum Russiam Podoliamq; inuasisse nunciatū fuit. Tum incredibili celeritate afflictam remp. liberauit, missis mox aulicis ad mercenariū militem ante hac his necessitatibus adseruatū, præterea pleriq; ex patricijs maiorum more intrepide res tutandas suscepere, hi quantum fieri poterat magnis itineribus ad Barbaros hostes festinabant. Interea dum aulici & nobiles in itineris procinctu essent seruilium copiæ Stanislao Lanskroneo Camienecēn arcis præfecto duce Thartaricas copias ad 23 Aprilis diem apud Bielkam particulari prælio uicere, ex ea pugna Barbari qui Polonorum manus inciderant, ad unum necati fuere, atq; his successibus Polonica res fœlicitate primum, deinde spe certæ uictoriæ consolata. Omnium dehinc copiæ in unum coguntur ad 23 Aprilis diem haud longe a Visnouicio castra discretis locis posuere. ad primum itaq; noctis uigiliam Stanislaus Lanskroneus qui hostium exercitum percensendo periculum fecerat Sarmaticis castris quæ apud hostes fierent nunciauit, Ineunt duces consilium, atq; paulopost ille mutatis equis ad hostium explorationem reuersus, milites seq; eq̊sq; reficere iussit, ut eo Lanczkroneo, demum redeunte, ad pugnam miles paratus foret. Redijt ad terciam uigiliam Lanczkroneus & hostes iam sine metu quiescere docuit. Tum uniuersus exercitus lætis iam animis ad persequendū hostem pronus apparuit. Lithuanorū uero copiæ Polonis adiunctæ uix sex millia equitum fuisse perhibentur, cæterum toto exercitu nemo qui non excelso animo uictoriam manu consequi aut pro patria mori uellet. In ipso itineris procinctu circa ultimam noctis uigiliam inter duces uaria belli pugnæq; ratio habita.

Ducum Polonorum altercatio

Constantinus uir nulli sua ætate duci secundus, sibi suisq; prælij initia desyderabat, hostem hunc longo usu cognoscenti hoc munus deberi, ne dum insueti milites, pugnæ mala facerent initia, reliquam spem desperatam efficerent. Contra Poloni quibus uictoriæ spes animos obsederat, simul coeundum fore rati, neq; ex usu esse exiguum exercitum in multas cohortes secernere, magis reip. comodo fore, si æquo marte prælium inirent, paribusq; honoribus quam deus dare uellet uictoriam obtinerent. Verum flagrans Constantini animus Polonorum consilijs nō accessit, sed Polonos patricios maxime qui cupiditate gloriæ euecti, partim apud Germanos partim alias nationes/quibus animus quidem ingens audaxq; ad alios bellorum usus esset, fuisse exposuit, alio hoste aliam militiæ disciplinam, aliud belli studium expetere. Interea dum altercationibus nihilominus exercitus iter continuaret. Primo diluculo hostem adesse nunciatum est, atq; ita præsens iam periculum pro honore, litem diremit, instructæ dehinc acies celeriter fuere. Constātinus cū Lithuanis dextrum

uanis dextrum cornu sortitus, Poloni sinistrum tutandum suscepere. Polonicus exercitus Nicolao Camienecio Graccouien Palatino, uiro ad ultimum uitæ diem armis belliq; studijs claro traditus est. Acies media ex nobilibus patricijs atq; ueteranis militibus ordinata, ante hanc cohortes, sub suis singulæ ducibus constitutæ fuere, hoc modo hostem per occasionem inuadere statuerunt. Constantinus spe frustratus copias suas in multam partem a Polonorum aciebus collibus pauculis e cõspectu sitis abducit, præter spem mox hostes agminibus in Constantinianos milites suo more tripudiantes erumpunt, repentina audacia Constantinianis terrorem incutere molientes, susceptum est utrinq; magna spe uictoriæ certamen, mixtisq; iam cohortibus cum Barbaris, uisum erat Constantino, ut paulo a suis secedens, alio loco Polonorum acies in hostes induceret, atq; ita Polonicis aciebus uix dũ iunctus erat, quom clamor a tergo ortus Lithuanos Barbarorum insultus atq; pertinacem pugnam telorumq; ingentem uim non ferre, nunc fugam inire, perculsusq; Constantinus, Polonos suis subuenire hortatur, negociũ Alberto Sampolenskeo & Bernhardo Potoczkeo strenuis militibus creditum, qui una cohorte leuis armaturæ ad Constãtinianos puenere. Constantinus q̃q; suos fugientes sistit, atq; cum Polonis denuo in hostes irruit, subito mutata fortuna, qui pauloante fugere cœperant iam intrepidis animis hostem fugere coegerũt. Tartari suorum clade & fuga cognita suppetias laborantibus misere, atq; paucis ad prædæ captiuorumq; custodiam relictis uniuersi ad pugnam accelerant. Verum ne totum negociũ in dextrum cornu inueheretur, Poloni iam acies in hostes immisere, missæ sunt primũ cohortes quattuor quæ in medijs hostibus septæ non apparuere, deinde alia post aliã summissa, media acies tandem in hostes ducta in uniuersalem pugnam res peruenit. hinc magna audacia utrinq; certatum, quomq; prælium iam undiq; mixtum esset Polonorum cohors una hostes confertissimos penetrans, præsidiũ ad captiuos relictum deturbauit, uinculisq; primum paucis captiuis ademptis paulisper alter alterius opera solutus, uniuersi compedibus liberati fuere. qui pauloante uincti leuatis in cœlũ manibus supplices suis uotis omnibus a deo uictoriã precati sunt, arreptisq; securibus atq; cæteris in prædam abactis rebus prælium (ex captiuis mox milites facti) instaurant, iamq; Barbari neq; uiribus neq; fortunæ fidentes inclinatis undiq; rebus fugere cœperũt, qui tandem a Polonis Sarmatisq; passim persecuti atq; cæsi fuere. multo maiorem tamen cladem accepturi si non tam cito per campos effusi plerumq; per fugam dilapsi atq; seruati essent. Leta igitur paucoq; cruore parta uictoria Sarmatis cessit. De cœsorum hostium numero non plane mihi constat, quom nec hoc ex his qui aduerso pectore hostium tela suscepere cognoscere potuerim, uaria de numero opinio erat, hoc uerissimũ mihi narratur, ex hostibus quorum a captiuis uiginti quinq; millia fuisse perhibentur, multo minorem partem dilapsam esse. Sarmatis ea pugna tanto maiorem læticiam addidit, quo leuiori negocio parta uideretur. Dũ ex toto exercitu uix centum interempti, cæterum pleriq; telis uulnerati eẽnt seruata est omnis præda captiui plus sedecim millia omnis sexus & ætatis, uinculis soluti in patriã reducti. Præterea Tartarorũ equi supra decẽ millia

Aciei instructio

Pugna atrox.

Victoria Polonorũ insignis.

 capti fuere.

capti fuere. Incidit hæc memorabilis pugna in diē diui Vitalis ad 28 Aprilis circa Lopuszna. Fuerūt in ea expeditiōe Nicolaus de Camieniecz Palatinus et præfectus Craccouieñ, exercitus Polonici dux generalis, Ioānes Odrouasz de Sprowa, Otto de Chodecz palatinus Podoliæ, Stanislaus de Chodecz regni Poloniæ Marschalcus & Leopolis præfectus, Martinus de Kamieniecz, Ioannes Amor de Tharnowa, Stanislaus Lanczkoronsky, Ioannes Schwirczowsky, Ioannes ac Nicolaus Pilecij, Petrus & Stanislaus Kmithæ uiri insignes & strenui, & alij multi Poloniæ strenui milites, quibus semper pro tuenda patria inuictus animus erat, fuerunt item auxilia ex præclaris Lithuaniæ ducibus, Constantinus de Ostrogo nulli nō duci sua ætate comparandus. Andreas de Sbaras & Michael cum filijs de Wisnijowiecz cum plerisq; alijs copijs, præter hos ingens numerus nobilium clarorumq; militum fuit, horum omniū nomina recensere negociū non postulat, fuere ea in pugna plerīq; mercatorij ordinis, qui sua sponte negocium susceperunt, inter hos mihi notior Ioannes Schucz Gracco. ciuis uir audax atq; strenuus. Hæc supremæ uictoriæ series est, quis etiam Barbari cum Russiam Woliniamq; inuaderent, & Belseñ Leopolieñ Busceñq; terras depopularentur, & usq; in Crasnystaw Lublineñ terram prædam agerent, amplius bis sex particularibus prælijs a Polonico milite fusi sunt & superati. Hac uictoria cum uinctis Barbaris ad regem perlata, deo optimo max. patrijsq; sanctis laudes habitæ fuere, captiui compedibus ædificijs Craccouieñ arcis admoti/in perpetuam seruitutem traditi sunt, ex ea pugna mirabile dictu quā cito Polonorū animi moresq; mutati. Narratū est qbus studijs Sigismūdus rex Sarmatiam & Poloniam susceperit hoc loco nō ab re uidetur referre, qbus uirtutibus sub eius imperio hactenus creuerit, abiectis nuper longis strictisq; uestibus, nouum uestium usum suscepere, crines item longo usu tortos, post Valachicam pugnam abijci ceptos tunc comuni studio abhorrere, potationes comessationesq; hactenus obseruatas continentius gesserunt. Ebrietatem, principis exemplo execrare plerumq; inualuit, sobrietati honos ingens habebatur, atq; ita paruo temporum interuallo Sarmaticarū rerū rituumq; summa uariatio fuit, ab his initijs omnes ferme uirtutes hactenus auctæ magis magisq; creuere, atq; hinc multorū populorū animi in Polonicarū rerum contemplationem euecti sunt. Posteaq̄ Tartarorum legiōes fœliciter superatæ sunt paulopost in diebus Maij Thaurici Cæsaris legatus ad regem Craccouiam peruenit, ut fœdus anno superiori cœptum renouaret, utq; Rex his fidē haberet Dyalaldinum Mendligeri iperatoris nepotem obsidem Vilnam uenisse exposuit, his ita facto cognitis, fœdus cum Tartaris obseruatum Dyalaldinus uero non uiso rege in puericia agens apud Vilnam sub Anno 1513. In Februario febribus correptus interijt. Thartari autem penes quos nullum ius integrum nullaue religio sancta, fœdus sæpe numero uiolarunt, an quia Dyalaldinus apud Lithuanos interijsset, an quia inconstantia fidei effecerint non habeo dicere, constat tamen nihil unq̄ cum illis firmatū postea obseruatum fuisse. Sigismundus ad finem Octobris Craccouiæ permāsit, pro diui Martini festo Peterkouiam ad indicta comitia peruenit, quibus conclusis simul cum regina Poznaniam peruenit, po-

Mutatio habitus & morum.

Legatio Tartarica.

Dyalaldini obsidis interitus.

1513

sitis hoc anno

sitis hoc anno Peterkouien̄ arcis initijs quæ posthac in Anno 1519. ad integrū completa fuit. Sub eo anno Sigismundus cepta ædificia arcis Cracco. singulari studio continuauit, in diui Stanislai sacello quod in rupella appellatur, monumēta posuit, Federico Cardinali olim germano æreum fieri fecit tumulū, uotūq; deo ac diuo Stanislao patrio sancto de fœlicibus belli Valachici successibus factū uti eo loco narratur, Imagines argēteas multis aureorū millibus comparatas ad diui Stanislai tumulum erectas expleuit, quæ hodie ab omnibus cernūtur in opere, industria ac artificio singulari ab Alberto Glim Nurenbergæ facto. Interea quod annis superioribus apud Poznaniam frustra in rebus Prutenicis laboratum esset, atq; Romano Cæsari paulopost ex Sigismundi nuptijs negocium contractum uideretur. Maximilianus cum Basilio duce Moschorum fœdera iunxit, parum mihi cognitum est si unq̄ Maximilianus a Christiano principe longius recesserit, q̄ dum ethnicorū res contra Christianissimū principem tutandas susciperet. Ab eo namq; anno Basilius contra ius gentium fœderibus finibusq; ruptis, Lithuaniam crebris uarijsq; eruptionibus Michaele duce afflixit, sæpius Smolenceam arcem infeliciter obsidione cinxit, atq; ita aliquamdiu Basilij exercitus tanto liberius in Lithuania grassatus quāto plus factionibus prouinciam implicatam, sperandum illi fuerat, hoc modo se Lithuanorū res duodecimo Anno supra MD habuere. 1519

Opera quedā Sigis. Regis.

Maximiliani cū Moschis fœdus. 1519

ANNVM. M. D tredecimum ab orbe redempto Sigismundus Poznaniæ cum regina Barbara excepit. Illic domestica intestinaq; quædā pacata fuere. Eo anno uigesimaquinta die Martij feria 6 magna ante quartādecimam horā Barbara regina prolem primā apud Poznaniam enixa fuit, quæ in baptismatis fonte, quādo hoc nomen apud Polonos familiare esset Heduigis appellata est. Ex eo loco paulo ante Ioannes Laskeus archipræsul Gnezneñ regni Poloniæ primas ad Iuliū pontificem legatus designatus erat. Is confectis domi negocijs Craccouiam properauit, ibidem quæ ad itineris usum forent comparatis Craccouiam initio Aprilis exiuit, summa legationis tum fuit, ut ad concilium Lateraneñ nuper a Iulio institutū, regio nomine orator iret, tum etiam res Prutenicas paulisper apud Romanum Pontificem infectas tutandas susciperet. Eo uero in ipso itineris procinctu existente Craccouiam nunciatum est. Iulium Romanū Pontificem apud S. Petrum in urbe die 21 Februarij morte extinctū, pauloq; post undecima Martij Leonem decimum legittime illi suffectum esse, mutato itaq; legationis titulo nihilominus Romanum iter continuauit, in ipso itinere apud Pontem uulgo Brugk Styriæ oppidū Stanislaus Ostrorogeus Calisien̄ Castellanus collega archiepiscopū consequutus est, atq; deinceps simul Venetam urbem ingressi, a Venetiarū principe Leonardo Lauredano Senatu populoq; humaniter excepti fuere. Ioannes Laskeus postridie in Senatū Venetum admissus extemporariam, sed luculentam habuit orationem. Summa huius fuit. Sigismundum præsenti Venetorum calamitati, & quod tanta cæde Christianus sanguis profunderetur condolere, omni uoto atq; animo quæ ad pacem cōmunem atq; eius reipu. amplitudinem pertinerent, quantum in se foret non inuitus effecturum. Cæterum quod pro Veneta republica ex usu

An. 1513.

Heduigis prima proles Barbaræ.

Ioannis Archiepiscopi Gnezneñ. legatio ad Pontificem.

Oratio Archiepi Gnezneñ. in Senatu Veneto.

per eum accidere uideretur, apud Romanum Pontificem Maximilianumq; Imperatorem totis uiribus se laboraturum, ut resp. Christianorum iam supra quattuor annos in Italia afflicta, pristinæ tranquillitati restitueretur, demũq; communi omnium uoto in Christiani nominis hostem arma summerentur. His ferme uerbis pro Sigismundo ad Senatũ Ioannes Laskeus usus est. Quæ tum principi tũ Senatui quãtũ gestu pcipere potui (interfui enĩ) grata fuere. an uero animo ea res fuerit quod nihil legatis (præter quæ publico consessu p eius rei commendatione dicta fuere) commissum erat, non habeo dicere, habita oratione Ioannes Laskeus ut est uir ingenij magni cum Leonardo principe quædam incidenter familiariusq; locutus est, negocio uero sic postulante, Ioannes Laskeus Sarmatiæ regnum multas uariasq; ab hostibus Barbaris eruptiones sustinere, reliquis nationibus contra gentilium insultus murum esse, atq; periculis maximis ingentem molem humeris sustentare exposuit. Tum Lauredanus rem Venetam extollens respõdit, reip. Venetæ maxima semper fuisse bella, nihilominus inuicto animo, summis periculis cõsilio domi forisq; prospere semper rebus præfuisse, fore quoq; ut etiam hoc bellum fœlicem finem sortiretur. Laskeus uero intercepta oratione, facetum hoc sed serium adlocutus, colloquium dissoluit. Longe inquit Serenissime princeps dissimile Venetis atq; Polonis belli studium hactenus fuit, dum illi pro gloria pro rerum amplitudine & plerumq; pro dominandi libidine euocati belli sibi negocia contraxere. Hij contra multo suorum sanguine pro repub. Christiana Barbarorum eruptiones excipere atq; cæteris nationibus præsidium esse coguntur, summam hinc fœlicitatem existimantes, si non transcensis finibus alienis sua tueri liceat. Postridie iterum ad Senatum uentum est, de rebusq; priuatis nonnihil actum & legati expediti Romam festinarunt. Postq̃ urbem ingressi de moreq; uires ex longo itinere refectæ fuere. Ioannes Laskeus apud Pontificẽ Leonem & patrum Collegiũ orationem longã & reip. Christianæ necessariam habuit, quæ postea excusa circumlata est, atq; utinam ita patrũ animos accendisset, ut syncero animo & uehementi studio dicta fuit. Postq̃ Gnesneñ archipræsul legationis munus expleuit, collega Ostrorogeus dimissus in Hispanias secessit, atq; inde in Poloniam nõ multo post reuersus est. Interea Ioannes Laskeus in Lateraneñ consilio multo tempore cõmansit. Eo loco res Prutenica nonnihil apud Pontificem ab ordine frustra tentata erat. Sed paulo inferius rebus Prutenicis hæc adscribere placebit. Hæc Ioãnis Archiepiscopi Gnezneñ legationis summa fuit. Sigismundo interim apud Posznaniam agente, res Lithuanicæ Moschorum pertinacibus eruptionibus affligi ceptæ, atq; ita in apertum bellum ferme omnia inclinata fuere. Apud Lithuanos Helena Alexandri regis relicta, morte absumpta est, quæ in annũ M.D.XIII. diem Ianuarij 29 incidit. Deinde Vilneñ arx nouis ornatisq; (sed ligneis) structuris pauloante erecta subito incendio 21 Februarij conflagrauit hæc futuri belli ferme auspicia fuere. Paulopost Basilius Moschorũ princeps apud Maximilianum pro regia corona per legatos sollicitauit, Auxilia cõtra Sarmatas ex nouis socijs quesiuit, totis uiribus plerosq; ad defectionem pellexit, tum Hlincei ingenio Schleinicz genere nobilis Miszneñ, ad Germaniæ oram summissus

Laskei responsum graue.

1513

Helena Alexandri vidua moritur. Conflagratio arcis Vilneñ.

Origo motuũ Moschicorum

oram summissus ut uel milites uel socios huic bello asciret. Fuere item ex plebeis qui his factionibus adhærerent ex quibus Lata Graccouień ciuis natiõe Boemus captus a rege Craccouiam missus atq; capite plexus est. Apud Prussios atq; Liuones res non ab re suspectæ uidebantur, his malis initijs Sigismũdus excitatus/Polonis apud Radomiam pro Iunij diebus conuentum indixit, conuenit Senatus omnis cum Sigismundo apud Radomiam oppidum/his comitijs Polonica respub. domi pace atq; tranquillitate firmata fuit. Tãto maior pacis fiducia atq; a metu bellorum animus liberior erat, quanto cũ Thaurico Cæsare fœdus nuper susceptum rempublicam ab eruptionibus tutiorem efficere uidebatur. Expletis his comitijs/Sigismundus in Lithuaniam secessit, Laurentius Miskowskeus uir militari disciplina insignis uarijs iniurijs a Ianussio principe Sathoriensi duce affectus, ad regẽ Radomiam peruenit supplex a rege omni uoto iustitiam precatus, Res ad reditum in Poloniam reiecta. Duci ut ab iniuria interim abstineret perscriptũ, at cum regis discessum ille cognouit/ad pristinam molestiam reuersus/aquam quæ certis alueis Laurentij piscinas incurrebat abduxit. Tum Laurentius facinus maximũ aggressus, ducem uenationi intentum adijt, dumq; duo simul longius a familiaribus abscederent, uerbis (ut Laurentius memorat) supplicibus ut ab iniuria abstineret admonuit. Sed dum dux his maiora inferre minaretur, arrepto mucrone Laurentius ducem per latus utrumq; inter scapulas sibi belli finem facturum dicens transfixit. Princeps Ianussius in terram mox ex equo delapsus, anteq; sui adessent expirauit, & Laurentius per loca cognita sequentium manus euasit. Cessit ex fœdere Sathoriensis ducatus ab eo tempore regibus Poloniæ, Laurentius uero neq; hac morte pacem adeptus, sed pro ea re aliquãdiu uarijs periculis laborauit, donec ad extremum in bello Moschouitico Anno salutis MDXIIII in Lithuania magna audacia fretus/egregium in hostibus facinus perpetraret, ex eo a ducibus belliq; præfectis supplicantibus regi reconciliatus est. Inciderunt hæc in Annum 1513 diem 17 Septembris. Post quã Sigismũdus ut paulo supra narratur Lithuaniam ingressus est. conuenit deinde primo apud Melnick opidum, paulopost Vilneñ urbem Lithuanicus Senatus, atq; futuri belli euentum consilio præuidit, uarijs modis pax frustra quæsita est, hostis uero dum nouorum sociorum promissis alit animum singulari studio ad nouum bellum inuexit, ac pluribus in locis fortunam expertus nonnullis mœnibus frustra oppugnatis / ingenti suorum cæde obsidiones ubiq; soluit. Quo cognito Sigismundus apud Lithuanos existens Thaurico Cæsari ex fœdere stipendiũ persoluit, & iam prope imminenti bello asciuit. grassantem hostem aliquot particularibus prælijs feliciter uicit, et hoc anno ab omni conatu auertit, hisq; consilijs tredecimi anni supra M.D. apud Sarmatas rerum gestarum finis erat.

Conuentus Radomień.

Laurentius Miskowskeus.

Cædes Ducis Sathorień.

1514

1513

Iam mox bello uictoriæq; insignis quartus decimus annus Sigismundum apud Lithuanos excepit, in ipsisq; anni initijs consilia belli uaria fuere, exactiones quæstoribus commissæ, milites q; ad stipendium suscepti/omnis item Lithuania belli rumoribus repleta, Contra Basilius haud segniter exercitum ingentem in Lithuaniam induxit, longe

An. 1514

Smolentię obsidio.

duxit, longe lateq; Lithuaniam spolijs incendijsq; uastauit/Smolénceam inuictā arcem obsidione cinxit. Fertur in ea obsidione machinas bellicas (q̄s Bombardas uulgus appellat) plus trecentas habuisse. Hoc loco parum omisso negocio contra nostri sæculi corruptos mores & fluxam hominum fidem exclamare liceat. Proh pudor eo res nostra ætate deuenit/ut per licentiam agantur omnia/Basilius princeps Moschorum dux, Christianæ reipu. hostis, contra Sigismundum Sarmatiæ & Poloniæ regem bellum suscepturus, neq; uiribus neq; consilio (quantumuis opibus pollens) satis fidens/apud Christianos summos principes facinoris alimenta, quom nec usu nec arte tanto principi bello satis facere posset, ultro Italorum Germanorumq; ingentem numerum obtinuit qui fidei ac religionis cultu neglecto Barbaricam rabiem ultro in Christianorum uastationem flagrantissimis animis incensam euehunt, factis multis uarijsq; belli machinis & instrumētis/corporibus etiam proprijs his facinoribus inseruiunt/adde quod pessimum hominum genus uarijs ingenijs atq; artibus instruunt atq; edocent. Sic quondam Turcarum gens formidabilis, hominibus pessimis, (& quod dicere abhorreo) Christianis opibus ualentibus inuidiæ atq; odij gratia adiuta, multis deinde prouincijs rempub. Christianam proh dolor exuit, hincq; ingenium natū apparet, ut quom neq; uires neq; consilium, quo libido dominandi expleatur adsit, extremis artibus ethnicorū auxilia quærantur, qui dum eos a quibus euocantur, & in quos inuehendum est iuxta amāt, fit ut labefactis iam utrinq; uiribus, sæpe uterq; ab hoste conficiatur. His artibus hisq; studijs Sigismundus princeps/Poloniæ rex, totius Christianæ reip. murus & antesignanus iam pridē aggressus erat, atq; hinc ex bello mox bellum seminatum est. Deus optimus maxi. labentem iam ecclesiam suscipiat. mihi uero in tanto negocio altius referre non licebit.

In instructores Barbarorū contra Chr̄ianos.

Altera Smolenczeæ arcis obsidio.

Basilius dum frustra arcem oppugnaret obsidionem soluit, itaq; exercitum hincinde circumagens, frustra laborans, denuo arcem Smolenceam obsedit. summa dehinc ui nihil quod ad tantæ arcis expugnationem ex usu fore uidebatur intactum reliquit. Sed dum crebriter frustra anniteretur, multaq; iam millia ex admotis legionibus cœsa essent, inter spem & metum dubius ancipiti consilio aliquamdiu deliberaret/ad finem Iulij mensiis obsidionem soluere statuit. Michael uero Helinsceus factionibus nuper seminatis fidens, Basilij intercepit consilium. Postremo dum qui Sigismundo fidem seruarunt/subsidia diu frustra sperassent, quomq; factionis numerus inualesceret, facile regia res inclinata in apertam proditionem peruenit. Smolencea maxima ac inexpugnabilis arx postquā supra centum annos in Lithuanorum manibus fuisset, tricesima Iulij mensis die/Basilio duci Moschorum postquam per biennium sæpius tentata est, a præsidio prodita fuit. Hanc Michael Hlinskeus suscepit/eamq; altera die Basilius ingressus/primum Ruthenico ritu in templo summo orauit, Postquā sacrificia fecit, totam arcem omni auro/argento/gemmis/margaritis præciosisq; omnibus spoliauit, prædam ingentem in Moschouiam dimisit. Smolencea arx maxima & nulla ui expugnabilis in extremis ferme Sarmatiæ finibus/ad Boristhenem amnem sita Moschorū olim ditionis a Vitowdo expugnata fuit duabus ferme ætatibus in Lithuanorum manibus permansit,

Proditio Smolentiæ.

Munitio Smolentiæ.

manibus permansit, tanto ingenio ac labore firmata, ut nullis unq̃ missilibus læderetur, id non murorum munimento sed propugnaculis ingentis magnitudinis ex quercinis lignis terra lapidibus ue repletis & circumactis septa ac undiq; munita est. ab una parte Boristhenem amnem habet, cætera inaccessis palustribusq; locis satis tuta sunt, præterea comeatus uis ĩgens, militũ quoq; tantæ arci necessariæ cohortes fuere. Hæc Sigismundum ne primis initiis obstaret auerterunt, Sed dum & uiribus & necessariis omnibus satis fideret proditionem cauere non ualuit. Hanc Basilius tanto suorum cruore exemit, ut facilius nouam erigere arcem potuisset. Basilius hac iam secũda fœlicitate euocatus, omnia ferme præsidia exuit, atq; exercitum ingentem coegit. uiribus confidens relicto (quod satis uisum) secum in Smolenskea arce præsidio, præfectis ducibus exercitum ex octuaginta millibus equitum Lithuaniæ immisit. Duces uero Moschi instructis aciebus (ut in tanto negocio operepræcium est) recta uia quæ ab Smolensko Vilnam dirigit exercitum duxere. Basilius cognito ex proditoribus regio aduentu, militum item paucitate, per nunctios ducibus significat, ut regium exercitum excipiant, utq; supremam belli fortunam uno prælio experiantur, ex facili negocio fieri ratus / quod a tanta hominum multitudine regius exercitus circumactus / pecorum more in Moschouiæ principatũ pellatur. his consiliis Basilii exercitus intumescẽs, ingenti clade paulopost adfectus est. Interea dum hæc apud Smolenceam arcem fierent Sigismundus apud Vilnam agens ex nũctiis rem cognouit, exercitũ ex Lithuanis Polonis & mercenariis militibus pauloante conscriptũ præmisit, quem mox ipse sequutus ẽ. Interim Piso uir insignis Leonis Romani pontificis legatus Vilnam Iulio mense appulit. Is a pontifice ingens & supra uires negociũ acceperat, cuius hæc summa fuit, ut Sigismundum belli studiis auocaret, deinde hoc idem apud Basilium ageret, repertis utrinq; conditionibus noua fœdera firmaret. Piso rem summo studio tentauit, sed in ipso statim initio pacis spes per armorum strepitum sublata. Sigismundus Leonis de se studium grato animo suscepit, sed dum secundis iam successibus hostem flagranti animo motum nihil auidius ac bellum expetere cognouit, omne periculum facile spreuit, pacem unica armorum ac belli uia quærere decreuit, Instructoq; exercitu / paulominus triginta millibus electissimis tum equitibus tum peditibus / hosti obuiam uenit, leto hoc negocium animo assumpsit, tantoq; facilior belli residui euentus sperabatur / quanto minus Moschorum res sine Helinskei ingenio ualeret. Nam Michael Helinskeus occulto Wladislai Hungariæ & Bohemiæ regis consilio Sigismundo reconciliatus fuerat. quomq; consilium his quibus fideret apperuisset, Basilio res prodita est, & Michael uinculis iniectus in Moschouiam ductus. præterea Nobilis Trepko nunctius qui rem ad Helinceum retulit captus, atq; multis suppliciis ad fectus tandem dimissus est, fama fuit, ueru ligneo igni admotũ / a Barbaris assatum fuisse, ita Michaelis conciliũ interceptum, qui si ad Sigismundũ rediisset, belli cuius initiũ fuit / finis esse q̃q; poterat. Non defuere qui Michaelis captiuitatẽ grato animo acciperent, tum quod homini non fiderent, tum etiam quod gloriam paulopost partæ uictoriæ illi omnium ore cessisse suspicarentur. hæc aũt

Moschorũ in Lithuaniam eruptio.

Ducis Michaelis cũ rege recõciliationis studium.

extrema tanti

extrema tanti hominis iniqua fortuna fuit. siue quod proditione insimulatus, siue quod reipsa culpa nõ uacaret, parũ constat, sed quom magno conatu, & uario ingenio, externis armis totam ferme Lithuaniã turbauerit, & omnibus uiribus ultionem quæsierit, tandem forte non sine æmulorum scitu & applausu uinculis iniectus, pro speratæ uictoriæ gloria, non nisi carceris compedũq; afflictionem, munus adeptus est. Non defuerunt qui hanc cum Sigismundo reconciliationem ab æmulis, a quibus & prius Sigismundo accusatus erat, Moscho quoq; delatam crederent. quod non modo Michaelis reditus, sed & aliorum apud principem fauor illis suspectus esset, constat enim omni sæculo dignum uirum & ducem Constantinum Ostrowskæum simili studio ab æmulis impetitum. quem tamẽ uita innocentissime acta, ac uulnera pro rep. Christiana suscepta facile a suspitione liberarunt. huius uiri dignæ laudes mihi, si studiosius exequi uellem, uel solæ iustum facerent librum. Verum quod Sigismundo in regem assumpto fuerit, ubiq; suis locis adscripsi. Supra tempus illud ab eo gesta ad historiam meam non pertinere uisa sunt, sed iam ad meum institutum redeo. Inciderunt hæc ante kalendas Septembris. Interea Basilij exercitus, ducis sui iussu, Regijs castris per pauca interualla castra admouit. & ad Berisinam amnem peruenit. Sigismundus haud negligenter aliquot cohortes præmisit, qui eodem amne superato, hostem terrore machinarum bellicarum irritarunt, uarijsq; tentatis fortunis, ad 27. Augusti diem, particulari certamine uicerunt. paulopost ad kalendas Septembrias, simili fortuna a regijs pugnatũ fuit, ex utrisq; uictorijs, qui insignes capti, ad regem deducti, hisq; initijs milites reliqui belli euẽtum fœliciter auspicati, uotis omnibus in hostẽ inuehebantur. Rex Sigismundus relictis ad sui custodiã quattuor millibus, reliquum exercitum hostes insquendos summisit, ipse apud Borisouam castra posuit. Tum Basilij exercitus summus dux ex usu ratus si legiones omnes abduceret, & regios postq̃ abiret in pugnæ sibi comodum locum euocaret. Consilium factum sequitur, ducitur exercitus ad Boristhenis amnem, regij hostium recessum fugæ simillimum rati, magnis itineribus toto exercitu machinis æneis omnibus hostem sequuti sunt, his per exploratores ab hostibus cognitis, operæprecium uisum est, celerius Boristhenem amnem tranatare, atq; ita Sarmatis ne flumen superarent negocium facere, nec frustra consilium fuisset, si tam strenue rem facto firmassent, quam sapienter cõsuluere. Regius exercitus dum hostem ultra Boristhenem traiecisse intelligeret, illico quod in tanto negocio ad rem pertinet, effecit, mox uado quæsito copias traicere destinabat, at dum Boristhenes nullibi q̃ in hostium ferme aspectu permeabilis appareret. Data dehinc inde loquendi fide, Duces ad fluminis ripam conuenisse traduntur, Sarmatæ ut sine metu hostium flumen tranatassent postulasse, uelle dein hosti pugnandi copiam facere, hostes ambigua fide rem confecerunt. Cæterum flagrans cupidine belli Polonorum animus, omnia uirtute peruia facere uel ingenti periculo destinabat, relictis eo loco aliquot leuis armaturæ millibus, reliquos exercitus ad penultimam noctis uigiliam, alibi ingenio atq; arte ratibus trabibusq; connexis, quasi ponte facto, pedites omnes atq; tormenta & machinas bellicas traiecerunt. Equestris ordo

Prælia particularia.

Borysthenem qua uirtute traiecerint nostri.

suo more acie

suo more acie seruata, quasi signo dato amnem insilijt, eumq; uno solum ab aquis absorpto dempto, omnes fœliciter superarunt. Fama est Basilij ducibus hæc non incognita fuisse, sed ptinaciter hãc oportunitatem neglexisse, iusto forte dei iudicio, ut qui elatis animis Sigismundi exercitus paucitatem contemnerent/paulopost Dariano exemplo, multi a paucis superati/fœdissima fuga/salutem frustra quærerent. Primo itaq; diluculo, amne iam superato/regij duces acies instruxere, uniuersum exercitum per cohortes atq; manipulos discernunt, Lithuani omnes equites ferme sedecim millia/sub Constantino principe Ostrowskeo duce fuere, Poloni uero qui sua sponte regem summo principis amore euocati, sequuti, simul cum stipendia merentibus, sub Ioanne Swirczowskeo militabant. Fuere in eo bello ex Polonis insignes patricij, familiæ Pilecentium/Kmythonum/Tancinensium/ac ex maiori Polonia plerique, patriæ ac regis studio euecti, fuere deinde pedites ex usu locati, atq; ab hostibus reficiendis aut mutandis aciebus, temporis interuallum admissum, idq; non tã ex metu q̃ summo contemptu ab hoste admissum cõstat. Ordinatis iam Christianorum aciebus, milites flagranti desyderio pugnam expectãt, idq; tam excelsis animis ac si partam iam manibus tenerent uictoriam, hostium exercitus uti multus atq; inumerus, ita dissimili usu instructus. fuere in eo exercitu maxima duo mala/Regijs uero non postrema uictoriæ spes, primum quod bellicas machinas ob itineris interuallũ & pergendi celeritatem posthabuissent, secũdo loco q̃ equites cataphractarij multi & ipsis militibus armorum uis ingens, ita undiq; præter consuetudinem ferrati armorũ insuetudo periculum haud modicum fecit, hostilis exercitus multas cohortes ante ualidam mediamq; aciem locauit, designati item fuere qui regios a tergo inuaderent, & in hostium frontem impellerent, ut septis undiq; regijs militibus gregum more sine etiam clade, omne Sarmaticum robur abigerent, aliquot horarum spaciũ intermedium erat, anteaq̃ utrinq; manus consererẽtur ad terciam ferme diei horam, signis iam datis, duces quo cohortes imprimis deinde ualida acies dirigenda foret assignant. Verum hostes astu Christianorum consilium peruertũt, ad sinistrum ipsi cornu per locum pauculo colle dumetis obsitum cohortem inducunt, his cognitis qui eo loco rebus præfecti erant, clamore citato lætis animis in hostem pertinaciter erumpunt. Tum iam cœpta pugna omni loco horribili strepitu inualuit, hinc tubarum clangor, hinc equorum hinnitus, militum animosus clamor, machinarum pixidumq; metuendus fragor & tonitruus/hominum animos inuasere, atq; ita Sarmatæ supremis uiribus negocium suscepere, hostes ubiq; confertissimos magna ui deiciunt, laborantibus ubiq; subueniunt, fessis remotis recentes inducunt, quomq; & armorum usu, & militiæ disciplina Sarmatæ ubiq; superiores esse cœpissent, & inter pugnandum dies inclinata esset. Tum utrinq; summa ui pro uictoria certatum est, uelitũ tum maximus usus fuit, qui manualibus pixidibus multa incommoda in hostium exercitu effecerunt, ad extremum hostiũ antesignani, & primæ cohortes Sarmatarum pertinacem pugnam nec ferre, nec septi extremis ualidisq; suorum aciebus a tergo effugere poterant, urgentibus interim a fronte magna ui Polonis, hostibus item a tergo reprimentibus, quæ mediæ

Moschorum copiæ.

Pugna nobilis

bus, quæ mediæ fuere legiones, per transuersum campis effusæ, fœdam iam fugam inierunt, hisq; elapsis Sarmatarum acies uno eodemq; impetu, mediam hostium aciem inuadunt, hinc tremor ex suorum fuga hostibus, ac mox Sarmatarum pugnax manus molesta accessit, iamq; postremo hostium acies ac cohortes & alæ suis per campum iam effusis conspectis, fuga passim elapsæ & facili iam negocio nudata undiq; hostium media acies in fugam acta est. Aperta itaq; hostium fuga per omnes campos effusa. sequitur Sarmata fortunam, tum ingens clades in hostibus patrata est, & in ipsa fuga innumeri cœsi, nemo a persequentibus seruatus, nisi qui fuga elapsi, aut nemorum densitate tecti Sarmatarũ manus euaderent, ad extremum postq̃ quattuor ferme milliaribus per omnes campos hostes insequerentur, amica hostibus nox rem diremit. Sarmatæ media nocte partim altero primum die ad castra reuersi, hostium castra magnis opibus referta in prædã direpta sunt, Duces exercitus summi decem Barones & Satrapæ decem & septem, ex Basilĳ uero consiliarĳs, primoribus & his qui officĳs publicis apud Tyrannum præfuere simul cum nobilibus supra duo millia capti, obscuræ conditionis militibus non computatis, præterea signa militaria multa accepta, Eo prælio ex hostibus multi cœsi multiq; capti fuere. Sunt qui ad quadraginta millia occisorum percenseant, Sunt item q pauloplus triginta millibus supputent, mihi in re tanta nullũ est negocium, nihilq; placet affirmare, satis esse uidetur uicisse Sarmatas, eousq; hostes cœsos quousq; regĳs sequi nõ fuerit difficile, Certo ex octuaginta millibus hostium exercitũ fuisse constat, sed ex captiuis qui a uictoribus Ioanni Bonero uiro de Polonica repu. optime merito summissi fuere, hoc mihi narratur, exercitus multo minorem medietatem Sarmatarum manus euasisse. Ex regio exercitu insignes fortissimiq; Barones quattuor, cæterũ pauloplus quadringenti cœsi, uulnerati uero multi fuere. Regius exercitus postq̃ deo optimo maximo (ex cuius clementi dono uictoria cesserat) gratias egisset, Regi captiuos insignes cum signis militaribus summisit. Incidit hæc multis sæculis memoranda pugna, in Annum M.D.XIIII. diem deiparæ uirginis natalem, Sarmatis populis omni æuo celebrandam, Anno a quo Sigismundus Sarmaticã rempu. tutandam susceperat septimo. Sigismundus posteaq̃ ex nuncĳs uictoriam cognouisset, ac paulopost captiuos adductos conspexisset, milites adseruatos recentes quattuor ferme millia ad exercitum summisit, Iussiq; duces fortunam ac uictoriam sequi. Rex cũ omnibus insignioribus captiuis Vilnam triumphum agens, ad ultimos Septembris dies ingressus, omnibus deinde templis laudes atq; gratiæ omniũ uotis deo optimo max. habitæ. Hæc memorabilis uictoriæ summa fuit. Sed mihi uidetur hæc ipsa per Barbaræ reginæ fortunam Lithuanis accessisse, quom paulopostq̃ illa cum Sigismundo rerum potita esset, Polonis læta fœlixq; cesserit uictoria, Lithuanis fœlici Barbaræ aduentu operæprecium erat, similem a deo optimo maxi. fortunam impetrare, ut qui sub uno imperio degerent, nouæ reginæ beneficio, consimili fortuna redderentur fœlices. Rex ex castris mox apud Borisouo Leoni decimo Romano pontifici uictoriam significauit. Præterea captiuos Barbaros plerosq; Christianis principibus summisit. Missus est item legatus ad summũ pontificẽ Nicolaus

Fuga Moschi.

Captiui insignes & preda.

Dies victorię.

1514 In die Natiuitatis B. Mariae virginis

pontificẽ Nicolaus

pontificem Nicolaus Wolskeus insignis miles cui quattuordecim nobiles Moschi uictoriæ testes ad Pontificem additi, hos in fine Decembris per Cracouiam Wolskeus Morauiam deinde Viennam Austriæ perduxit, cuius tūc ego itineris comes eram. Verum quom Viennam saluis rebus peruentum esset, ex amicis iter omne in Italiam interclusum accepimus. Cæsareus Senatus ut tutum esset iter requisitus tanto negocio se exonerans ad Maximilianum Cæsarem eundū censebat, itum est deinde ad Aenipontem Aeni uallis oppidum, sed anteaq̄ illuc uentum esset, apud Hall oppidum ad Aeni fluminis ripam sitū, Wolskeo iter interceptū, ille a Cæsare Maximiliano postridie ad finē Ianuarij sine iniuria dimissus, sed Moschis uincula adempta, paulopost haud parum honorati a Cæsare in Asiam per Lubeckum remissi fuere, iure ea res in Pontificis Romani atq; Sarmatiæ regis contemptum facta fuisse uisa est. uter autem eorum maiorem acceperit iniuriam, non habeo dicere, Vadianus meus apud Pompe. Melam huius rei obiter facit mentionem. eo q; nouum illorum ritum, atq; externam religionem, uti apud Viennam cognouerat, uidisse placuit. Dum hæc fierent, Basilius suorum clade cognita, metu perculsus, paucissimis comitatus, Smolenceam arcem exiuit, celeriq; cursu in Moschouiam peruenit, fama erat, ut nouum exercitum conscriberet, mihi uero narratur, Basilium omni desperatum fortuna, id fecisse. Regius aūt exercitus a certaminis loco ad Smolenskeam arcem castra mouit, multis quidem id factum incommodis constat. Nam ex longo interuallo atq; uiarum iniquitate, ingens equorum numerus interijt, multæ item quadrigæ (nam supra sedecim millia in exercitu fuisse constat) equis aut mortuis, aut omnino periclitatis, in ipso itinere relictæ fuere. Smolencea arx quæ natura ac arte munita est (quod machinæ & instrumenta ad hunc usum in exercitu nō eēnt, simul quod hiems & temporum ratio, ut ea regio naturam habet, inualuisset) frustra tentata, desideratis aliquot ex regio exercitu. postremo obsidio soluta est, & milites ad hiberna dimissi fuere. Hæc ultima huius anni expeditio, cum tanta fuit molestia, ut & equos & homines multo plures absumpserit, quam etiam in ipsa pugna periere. Mihi uero tantæ perfidiæ nulla constat ratio, sed hoc unicum bellorum apparet incendiū, quod iam plerumq; in Lithuanicis oris, Ruthenica religio inualuerit. Nam cum Ruthenis, qui sub rege agunt, religio cum Moschis sit per omnia communis, ad defectionem nihil deest, sed principis tyrannis & quod opibus nemo diues est, nisi quem uelit princeps, & quousq; uelit, demum ut neq; præstiti iuramenti fides sit, obstat. Wladislaus Iagello qui ex ea familia primus apud Sarmatas regnauit, Christianæ fidei et religionis primus summusq; plantator, ab initio Orthodoxam fidem tota Sarmatia sancte religioseq; tutatus est. Ruthenorum secta ligneis templis sua semper perfecit sacra. hoc deinceps sancte custoditū semper fuit. sed hac ætate res Ruthenorū paucis patrocinantibus inualuere, iaq; sumptu magno templa lapidibus in sectæ ratificationē extruuntur. hæc me eo anno pauloanteaq̄ apud Boristhenem pugnatū esset Vilnæ uidere contigit. Præfecti sunt item summis priuatisq; officijs eius sectæ homines. eo facile fieri potest, ut religionis obseruātia & amore pleriq; Moschum q̄ regem malint imperatorem. Men

Aenipons oppidum

Captiui a Cæs. dimissi.

Smolenceæ arcis tentatio.

Tyrannis Principis Moschorum.

Vladislai Iagellonis pietas

Mendligeri Taurici dolus.

peratorem. Mendligerus Thauricus Cæsar qui ex stipendio nuper accepto regi ad hoc bellum accedere debuit uafro usus ingenio non longe a regijs castris legiones suas hoc est Ordam locauit, eo loco belli pugnæq; supremæ euentum præstolaturus. Sarmatis uero interim uanis spebus auxilia pollicitus, tandem quom regi uictoria cessit/ & ipse regiam fortunam sequutus, totum exercitū in Moschouiam duxit, eamq; oram tanta cæde affecit, ut supra hominum memoriam similis præda ex Asia non credatur abacta. his cladibus Basilius mitior factus, qui nuper tam certam sibi uictoriam persuasit, ut etiam ad duces litteris (quid post partam uictoriam de rege fieri uelit) mandare non dubitarit, sed deus optimus maxi. & principis Sigismundi fortuna/ mutato hostis consilio, rem alio fine beatam fecere. Piso tandem infecta re honoratus et dimissus est. Ioannes Laskeus postq̄ faustum fœlixq; hoc nunctium in urbe acceperat, rem ad Pontificem Patrumq; Senatum retulit. Patrum Senatus publicas orationes pro Sigismundi uictoria deo optimo maxi. fieri decreuit, fuere tunc Romæ, & hi quidem quos minime decet/ qui simultatis gratia rem quantum ex se erat perderent, uicit tamen religio, habitæq; sunt in templis laudes, & belli series longa luculentaq; oratione a Camillo Porcario homine litteris claro celebrata fuit. hæc Moschici belli rerumq; Lithuanicarū eius anni ferme summa est. Igitur expositis breuiter quæ apud Lithuanos/ Sarmatiæ maximos populos/ periculoso Moschico bello/ iam circumacto anno/ gesta fuere, operæprecium erit ad Polonorū res diuertere, atq; sub his externa quædam adferre, non quod aliarum gentium res mihi maxime negocia faciant, sed quia ad eorum quæ subscripturus sum usum pertinere uideantur.

Tauricorum in Moschouiā irruptio.

Supplicatiões Romę decretę.

1514

Pacis inter Cęsarē & Polonię regem causæ.

Fridericus 3 Romanorum Imperator

Annus Quartusdecimus supra Millesimum D. ab orbe redempto pacem Romani Cæsaris cum Polonis excepit. Ea res quando ex insperato quasi accesserit altius eius initia non ab re perscribenda erunt. Diuæ memoriæ Fridericus Romanus imperator eius nominis tercius/ quondam ex fœdere Hungarici regni ius sublato Matthia sortitus fuerat, idq; iam per successionem ad Maximilianum deuolutum erat, uaria dehinc tum cōsilia tum fœdera intermedia fuere. donec deus opti. max. Wladislao Hungariæ ac Bohemiæ regi prolem largitus esset, hinc uisum Maximiliano affinitatibus rem firmandam fore. actum est in ea re aliquamdiu priuatis consilijs. Legatis tandem adhibitis Ioannes olim Waradiensis et Olomuceñ Episcopus, cuius apud Matthiam uel ob singulare ingenium, uel ita fato uolente summa auctoritas fuerat, qui tunc mundi abiectis uanitatibus diui Francisci sectam (quam de obseruantia uocant) professus. eam prouinciā Iulij etiam Romani Pontificis iussu adsequutus, facturus perpetuum inter Reges fœdus/ Anno M.D. septimo, Constantiam (ubi Cæsar comitium indixerat) inde Aenipontem oppidum ipsum Cæsarem sequutus est. Ea legatione fœdus/ quod reipu. Hungaricæ pro futurum erat/ summo studio confecit. Iacta fuere tunc etiam pro repu. Christiana salubria fundamenta. Ad eam rem optimi duces accesserant/ Bernhardinus. s. Crucis Cardi nalis Hierosolymitanus Patriarcha Iulij Pontificis Romani legatus uir magnæ sacræq; doctrinæ. Ioannes Waradieñ Wladislai legatus hic quāuis obscuro loco apud Morauos Proscanno oppido, plebeis item parentibus natus

rentibus natus

rentibus natus fuerat, ita tamē adultus, litterarum studiis & optimo ingenio præditus, apud Matthiam Huniadem creuerat, ut primum locum apud Senatum Pannonicum obtineret, et Mattheus Lang Augustæ natus, simile fatū consequutus, paruis initiis per omnes dignitates penetrans, ad Cardineum ordinem sub Iulio adscriptus, tandem Salczburgeñ archiepiscopatum opibus in Germania primum, mortuo etiam Maximiliano adsequutus est. Tres uiri ut dignitate summi ita naturæ dotibus suffulti, apud tres summos in Europa principes, summam authoritatem etiam usq; ad inuidiam adepti. præcipuis consiliis regnorum res semper tutati fuere. his itaq; ducibus communi reipub. proculdubio consultum fuisset, nisi & Iulium ingens in Italia bellum quod proh dolor, fremens conceperat, & Cæsarem a Venetis accepta iniuria auertisset. Ioannes Waradieñ postquā ad futuram Cæsaris nepotum cum Wladislai natis affinitatē, quæ ad negocium pertinere uidebātur, effecerat, suæ sectæ cenobii apud Schwacium Aeniuallis oppidum Cæsaris assensu inuito Brixineñ Episcopo diebus Septembris initia fecit, deinde ad Wladislaū regem remissus est. cuius itineris comes ego quoq; fueram. Saluæ dehinc res fuere, nō tamen in effectum ductæ, eo quod Cæsar grauissimo bello retentus fuerat, & quod utrinq; Cæsaris nepotibus & Wladislai natis ætas non accesserat, & quod Cæsar postremo in Sigismundum omni noxa uacantem odium susceperat. Accessit his q̄ in Pannonico Boemicoq; senatu non deessent, qui amiciciam cum Cæsare suscipiendam uti iniquam & ex nullo usu futurā censerent. Actum est totis istis intermediis annis a Cæsare ad Wladislaum per legatos, donec Maximiliano uisum fuit, res summo iam uinculo firmari oportere. Missi sunt ad Wladislaum eo anno insignes legati qui rem postularent, Wladislaus contra sine Sigismundi fratris assensu rem detrectauit. Estq; ea res ad Maximilianum delata, non licere cum eo fœdus amiciciamq; & affinitates iungere, qui fratrē odio & alieno bello persequeretur. his cognitis Maximilianus magis ex suorum usu ratus, Sigismundo Poloniæ regi reconciliari q̄ innoxium principem in aliorum gratiam, contra etiam Cæsaream dignitatem, odiis bellisq; molestari. Accessere huic negocio uiri cōsilii maximi Christophorus Schidlouicius Sandomirieñ tunc Castellanus, Sigismundi ad Wladislaum fratrem legatus, Ioannes Cuspinianus doctor Cæsaris consiliarius urbis Vienneñ præfectus ad eam etiam prouinciam summissus. hi dum Budæ conuenissent, summo conatu uterq; egit, ut alterius principem ad pacis fœderisq; conditiones induceret, negocium aliquādiu intermissum est, noua & fœda molestia id efficiente. Nam dum Thomas Cardinalis Strigonieñ Constantinopolis Patriarcha nuper a Leone summo pontifice (quod Catholicis quondam comune erat) crucem conferendam suscepisset, ut ea signati milites contra Turcas in Thraciam ducerentur, sperabatur ea res Pannoniæ regnis maximo comodo accedere. Verum dum uel inconsulte uel negligenter initiata esset, summum detestabileq; periculum fuit, Conuenit sub facinorosis ducibus pessima hominum plebeorum rusticorumq; colluuies. Coacto itaq; exercitu, in Thraciam, non modo obmissum iter, sed pessimum in hominum memoria facinus susceptū est. Fuit primū in animo omne nobilitatis & patricio-

Mattheus Cardin. Saltzburgensis.

Concordię media.

Christophor. Schydlouicius Ioannes Cuspinianus.

Tumultus crucigerorum in Hungaria.

1514

rum nomen deperdere, deinde episcopatibus omnibus deletis, unum archi/ præsulatum relinquere, incredibile dictu, q̃ cito mala hominũ pestis irrepsit, in surrexere pessimi quiq; si qui prius pietatis studio rem susceperunt, horum facile temeraria manu inualescente ad facinora animus mutatus fuit, Tum in/ gens manus ex omni Pannonia (nouarum etenim rerum studiosum est uul/

Georgius Siculus. gus) conlecta, hos sibi duces constituit Georgiũ Siculum ex populis qui mox ad Methanastes sunt & Seckli uulgo uocantur, homo antea militiæ laudibus præclarisq; item facinoribus insignis, cui cum æs deficeret, facile apud hos im perium consequutus est, Laurentium deinde sacerdotem & Michaelem mo/ nachum imperij socios asciuit, hac scelerata manu, multo maiorem Panno/ niæ partem, crudeli fœdaq; strage impleuit, tot uicijs exercitus prouolutus erat, quot forte libido uias demonstrauerat, tribus ferme mensibus ingenti Pannoniæ malo exercitus circumactus est. Eaq; sæuicia plus sexaginta homi/ num millia cæsa perhibentur, pudet referre quã praua facinora hoc malũ ho minũ genus perpetrauit, cœsi fuere, & palis infixi uiri insignes, imprimis Epi/

Afflicti in hoc tumultu. scopus Senadieñ, ex nobilitate ferme sexingenti, qui passim ad palos seu gla/ dium rapti fuere, matronæ uirginesq; nobiles ad libidinem prostitutæ, cæte/ rum sine ætatis discrimine crudeliter multi necati, pari ferocitate in Christos domini usi sunt. Ecclesias, ut aiunt, templa quæq; prophana uel sancta, supe/ ris inferisq; non parcendo diruerunt & ignibus absumpserunt. At paucis ex/ ternum hoc negocium absoluẽdum est, quom magis ad Pannonicarum rerũ scriptores pertineat, mihi/ si uniuersa facinora narranda/ tempus uiresq; defi cerent, ad extremum Ioannis comitis Scepusieñ Palatini Transyluanieñ, Bar

Supplicia Ducũ factionis. baræ Poloniæ reginæ fratris ductu/ scelerata manus apud Temisuarum me/ dio Iulio superata fuit. hic crudelibus quoq; mortibus antesignanos & facino ris authores extinxit. Georgium colluuiei regem militum suorum dentibus antea discerptum/ ferreo ignitoq; diademate coronatum/ capite truncauit, & quattuor in partes corpus distractum, caput ad sceleris socios apud Waradi num & Pesthium oppida summisit, qui pari deinde strage affecti fuere. Hoc

1514 deleto malo comitia apud Budam Wladislaus suis indixit. Visum hinc fuit

Comitiũ Budæ. Romano Cæsari (qui pauloante si Hungaris ex usu uideretur auxilia contra plebeorum eruptiones promiserat) ut ad hæc comitia legatum summitteret, tum quod labanti reipub. Hungaricæ subueniretur, cum etiam (quod uerisi/ milius est) optatis finem tandem sortiretur, habitum est itaque diebus No/ uembris apud Budam comitiũ. Adhoc Cuspinianus a Cæsare Romano Chri stophorus Schidlouicius a Sarmatiæ & Poloniæ rege legati fuere. Quomq; legatorum animi utrinq; in spem pacis erigerentur, ex re uidebatur paulo/ post reges omnes ad Februarij ueturi anni finẽ apud Posonium in unũ coire. Cuspinianus magno desyderio hãc prouinciam suscepit, qui celeri item cur/ su ad Cæsarem apud Aenipontem degentẽ peruenit, neq; Cæsar negocium

1515 infecit, sed mutato tempore dies ad mediã Quadragesimæ Anni M.D.X.V reiectus, atq; hoc per Cuspinianum Budam regibus renunciatum est, interea Christophorus pari studio apud Sigismundum egit. Sigismundus qui nihil unq̃ æque ac pacem amauit/ lubens negociũ suscepit. Parauitq; mox ex Litha

uania in Poloniã

uania in Poloniam aduentū, positis itaq; in arces præsidijs, militibusq; in hiberna locatis. Sigismundus cū regina Barbara in Poloniam diuertit, atq; hoc modo Annus M.D.XIIII. apud Sarmatas finem habuit.

ANNVS dehinc ab orbe redempto M.D.XV. Sigismundum apud Craccouiam cum Barbara regina excœpit. Iamq; statim Sigismundus cum Senatu de regum conuentu egit, fuere tunc in utrisq; regnis/qui hoc iter regum detestarentur, an priuato hoc cōmodo/an quod Maximiliano non fidendum putarent/fecerint, nō satis habeo. constat autē in comitijs Craccouiæ in Februario habitis, Polonicum Senatum omni uoto in eam expeditionē accessisse, ipsis uero comitijs de regni rebus consultum fuit. Hoc etiam tempore Reuerendiss. D. Matthias Dreuitius Cancellariatus officium, ad quod Reuerendissimo dño Ioanne de Lasko in Archiepiscopatū euecto successerat, in regias manus resignauit, quod iam ad Episcopatum Wladislauieñ euectus esset, qui secundum regni statuta hoc officiū habere nō potest. Successit huic Magnificus Christophorus de Schidlowietz antehac Vicecancellar. cui uicissim in eo officio Petrus Thomicius Episcopus Premislieñ successit. Domi Sarmatiæ rebus Ioānes Conarius Craccouieñ. præsul. Nicolaus Caminicius Craccouieñ Palatinus Polonici exercitus dux/cum reliquis ad hoc munus designatis/præfecti sunt. Cæterum multi ex primis tam Episcopis quam Patricijs Regem sequi iussi. Hæc dum Rex parat, nunctium adfertur/Cæsarem nō nisi ad diem (quā Lætare mediæ Quadragesimæ dicunt) futurum. Rex acceptis litteris cum his qui ex Senatu sunt re comunicata animum nihilo mutauit. Magno quidem studio ex Pannonia laboratum fuit, ut uel conuentus periret, uel Budæ indiceretur. Sed nec hanc temporis moram Sigismundus moleste ferebat. Tum iterim Ladislaus Sternbergius Regni Boemiæ Cancellarius uir insignis Craccouiam ad Sigismundum legatus ita uolenti principi animū eūdi adiecit, hortatus est miro studio ne quauis ratiōe iter interciperet. Sigismundus eo remisso paulopost ad quintum diem Martij Craccouiam exiturus erat, comitatus equitibus ferme M.D. præter eos qui in quadrigis & ad onera ferenda designati fuerant. Susceperunt hoc iter cum rege Sarmatiæ insigniores, quos ut uno labore rem absoluerem, infra cum alijs aliarum nationum principibus/qui huic conuentui interfuere adscribere magis placuit. His itaq; comitatus rex iturus erat, Quom Matthias Mechouieñ medicinæ doctor, & astrorū præscientia (si his certa fides esse debet) nulli sua ætate secundus, Regem frustra iter suscepisse significauit, accessit statim Mechouieñ uaticinio nouus nuntius, Cæsarem Matthæum Sancti angeli Cardinalem, Episcopum Gurceñ ad reges designasse. Fuere qui infra dignitatem Regiam putarent ad alium q̄ Cæsarem eundum. Audiui ego ex Regio ore se Cæsari semel datam fidem iuiolabiliter (etiam si infimos quosq; sumitteret) seruaturum, eundem fore quo deus & fortuna ostenderet, nam nihil minus regium esse q̄ datam uiolare fidem. Mechouieñ regia accepta constantia & ipse sententiam non mutauit. Per Ioannem Bonerum et regi charum & sibi intimum rogatus/ut pridie respōdit, Regem nō uisurum Cæsarem/nisi ad medios Iulij mensis dies, usq; expectare non grauetur, ea res postea ita euenit.

An. 1515

Conuentus Vieñ pparamēta

Ladislaus de Stern/bergk

Matthiæ Mechouieñ uaticinium.

postea ita euenit. Rex uero nec his rebus quominus iret deterritus, iter die 5 Martij ut supra scribitur/incœpit, continuatis itineribus ad Tirnam oppidũ peruenit, illicq; ab Episcopo Quinq; ecclesieñ & Georgio Marchione Bran deburgeñ utriusq; regis nepote exceptus, Posonium deductus est. Sigismun/do Posonium uenienti Wladislaus frater cum filio Ludouico obuiam uenit, eũq; humaniter non sine lachrymis excepere. Cæterũ Posonium ingressus, paulopost Strigonieñ Cardinalis cæteriq; ex Pannonico Senatu secuti fuere, actum est deinde inter Reges de regnorum Hungariæ Poloniæ & Boemiæ commodo. Interim magno desyderio expectatus Maximilianus/aduentum in multos dies differebat, uel quod uarijs & maximis auocaretur negocijs uel quod cum desyderio diu expectatus maiori ueneratione exciperetur, uti Fruticeni amicissimi uiri erat sententia, uel etiam regum constantiam cogno sceret, interimq; comeatus cæteraq; omnia quæ ad tantorum principum su/sceptionem pertinerent subordinaret. Ego in ea re neq; affirmare quippiam nec reprobare ausim. Sed nec hunc celeberrimum conuentum singillatim de scribere susceptum postulat negocium, quom hoc Cuspinianus Vienneñ præ/fectus, Richardus item Bartholinus uiri doctissimi tanto studio effecerint, ut neq; ad eius rei seriem addi nec minui quicq̃ ualeat. Ego uero historiæ seriem scripturus/ita agam, ut nec breuitate sterilis/nec dicẽdi copia prolixus nimiũ idemq; fastidiosus uidear. Quom itaq; Cæsar Romanus aduentum suum regi bus diu subtraheret, actũ est aliquãdiu per legatos. Inprimis ad reges a Gur/czensi missi fuere, Marquardus de Stein. Ioannes Moraxus. Cuspinianus & Wolfgangus Hamerlus, paulopost ipse Cardinalis Gurceñ Posonium ad reges peruenit, comitatus pristinis oratoribus, simul Laurẽtio Saurer uicedño Austriæ & Gabriele Vogt, habitus est illi a regibus tribus, maximus (ut par fuit) honor. cerimoniæ item maximæ fuere, acta sunt & priuatim & publice pro principum unitate multa. Verum dum reges nihil æque ac Cæsarem ui/dere cuperent, factis datisq; hincinde pacis fœderis ac affinitatis conditioni/bus, ut regibus coeuntibus facilius omnia firmarentur. Cardinalis Gurceñ a regibus honoratus atq; muneratus die 12 Aprilis ex Posonio soluit. Postquã Viennam peruenit, Cæsareos consiliarios Gwilhelmum de Rogendorff & Laurentium Saurer Vicedominũ Austriæ ad Imperatorẽ summisit. illi longũ hoc iter usq; in Augustam mira celeritate quattuor diebus cõfecerũt. Interea uero dũ Cardinalis apud reges Posonij esset, Bartholomeus Minsterburgeñ dux/a Cæsare ad reges summissus/in Danubij fluctibus/non sine aliquorum mœrore interijt. Paulopost item q̃ Cardinalis Viennam ingressus esset, pri/die kaleñ Maias, subito igne Posonij ferme medietas absumpta fuit. In eo igne Wlatislai regia, suorum incuria absumpta est, Sigismundi uero Poloniæ re/gis ædes summo suorũ studio seruatæ fuere. Latum est & oppidanis a Polonis auxilium, ut quod reliquum esset eorum opera seruaretur. Rediere post lon/gam moram ad Cæsarẽ a Cardinale missi legati. Visum deinde Cardinali al tero ad reges itinere, aut tediosam moram leuem facere, aut ceptis iam pri/dem negocijs maius addere robur, ad undecimum diem Maij ex Vienna ad reges per Danubium naui dimissus est, hominis aduẽtus regibus gratus. Tum noua statim con/

Conuẽtio Posonij.

Acta cũ Gurcensi.

Ducis Munsterbergeñ interitus.

Incendium Posonieñ.

noua statim consilia aliquot habita diebus, ad uigesimum Maij diem, conditiones tam fœderis quam matrimonij regum legatorumq; manibus subscriptæ in ipso consilio publicatæ fuere. Nam a duobus regibus, duobus item Cardinalibus dumtaxat rebus finis datus perhibetur. Interea dum hæc apud Posonium aguntur, triste nunccium Pannonico regi allatum est, Ioannem Scepusiæ Comitem, Transyluaniæ Palatinum transcensis hostium Turcarum finibus bellum intulisse, eoq; haud prospere gesto/ab hostibus superatū castrisq; exutum fuisse, ea quoq; fama ad reginam Poloniæ uenit, quæ fratris infortunio summo mœrore afficiebatur. Postq̄ hæc Cardinali apud reges ex sententia accesserant, ex Posonio ad Cæsarem soluit. Quem multis exanclatis laboribus atq; consilijs ad hoc iter sua (ut est uir maxima prudentia) industria accinxit. Missi fuere item post Cardinalem regum ad Cæsarem nunccij. Hieronymus Balbus Italus, & Bretislaus de Schwyhaw Boemus, Nicolaus Cæculus Hungarus, & Petrus Kmitha Polonus quondam ob singularem & incomparabilem uirtutē Cæsari dum in aula eius esset summe charus, hos ultimos Cæsar magna aduentus sui spe/cum litteris humanissimis ad reges subito remisit. Eos ipsos sequutus decima Iulij die Viennam uenit. Aduentu Cæsareo cognito a regibus, legati missi fuere, qui Cæsarem Regum Reginulæq; nomine exciperent. A rege Pannoniæ & Boemiæ fuere, Georgius Quinq; ecclesieñ Episcopus Pannon, Ladislaus de Sternbergk Boemus eius regni summus Cancellarius, Moises de Buslai uir insignis aulæ regiæ præfectus. A Poloniæ uero rege Ioannes Lubrancius Posnanieñ Episcopus, Lucas de Gorka Maioris Poloniæ generalis p̄fectus et Christophorus Schidlouicius regni summus Cancellarius, summissi sunt undecima Iulij die legati ad Cæsarem & Senatū tunc ex principibus frequētem admissi. Georgius Episcopus uerba fecit, quæ uel negocium uel Cæsarea dignitas postularet, oratione finita Cæsaris nomīe Petrus Mota Hispanus uir summi consilij eleganti grata concinnaq; breuitate respōdit, altera die regum legati a Cæsare dimissi ad reges rediere. Misit dehinc Cæsar legatos qui Reges suo quoq; nomine exciperet. Ad Wladislaū & Ludouicum, Christophorum Archiepiscopum Premensem ex Brunswiczeñ familia insigni, Kasimirum Brandeburgeñ Marchionem regum nepotē, Wilhelmum de Rogendorff, & Cuspinianum, hi quartadecima Iulij legationis munus exequuti/Reges Viennam summo studio euocabant. Ad Sigismūdum uero Gwilhelmum Bauariæ ducem Cæsareum ex germana sorore nepotem, Christoforum Labaceñ Episcopum, Balthasarem Præpositū Valkircheñ, & Moraxiū Boemū misit. Datis inde coeundi finibus in Hamburgum & Ponte seu Bruggum oppida. Cæsar quindecima Iulij ex Vienna ad reges soluit, tam equitibus quam peditibus plusquā cuiq; credibile decoriter compositis stipatus. Sequenti die 16 Iulij quom Cæsar utrisq; regibus per Cuspinianum prius conueniendi locum exceptionisq; modum, ne uel ipse atq; Wladislaus lecticis quibus uehebantur exilire/uel Sigismundus & Ludouicus ab equis interim prosilire/uel etiā Anna Reginula e quadriga descendere cogerent dedisset, ita rebus cōpositis/piro in finibus locata, Sigismūdus ex Hamburgo Wladislaus cū liberis ex Brugg nocturnis, priores ad designatos fines uenere, posterior

Ioan. Co. Scepusieñ infortunium.

Legati e Posonio ad Cęsarē.

Legati alteri ad Cęs. excipiendum.

Oratores Cęs. ad Reges.

Congressus Regum.

uenere. Posterior Cæsar in eam planiciem ex iugo dumetis aliquamdiu antea obumbratus lectica uectus descendit, meum non postulat institutum hoc loco multarum tunc gentiũ mores uel splendorem referre, constat enim quãcq; nationem suo more, ut in tantorum principum populorumq; conspectu famã gloriamq; augeret, supremam imposuisse operam. Germani armis & belli apparatu (uti alias solent) facile omnes uicere, Contra Sarmatæ Poloni Pannones & Bohemi gentium rituumq; uarietate, & equorũ numero miro item uestium precio ac splendore anteibant. Fuere enim in eo comitatu multarũ gentium populi atq; consuetudines / Pannones / Rasciani / Siculi seu Ceculi / Sarmatæ / Poloni / Roxolani / Daci / Tartari / Lithuani / Moschi / Turci / Bohemi / Moraui / Slesitæ & Pruteni. Cæterum in tot populis atq; linguis unus fer me animus ab initio fuit. Sigismundus itaq; prior, paulopost Wladislaus, & postremo Maximilianus Cæsar suis comitatus ad pirum accessere, missi fuere aliqui hinc inde legati / in ipsa statim planicie, anteaq̃ ad mutuum congressum peruentum esset. Iamq; magna fide utrinq; pacatis animis Cæsar ad reges lectica uectus substitit. Lodouicus primo loco Cæsarem uti patrem ac dominum salutauit. Secundo loco Anna reginula successit, inde tertio Wladislaus apud Cæsarem uerba fecit. Postremo Cæsar Sigismũdum humanissime excepit, ferturq; his uerbis loquutus fuisse. Hæc est dies quam fecit dominus lætemur & exultemus in ea. Ad hæc mox Sigismundus latinis uerbis (ut singularis est eruditionis respondisse perhibetur. Serenissime Cæsar utinam hic conuentus noster / sit fœlix ac faustus nobis / subditis nostris, & toti reipublicæ Christianæ. Expleto salutandi munere interuallo pauculo facto, præclarissimi cuiusq; nationis principes & Cæsaris & regum dextras complexi sunt. Interea Cæsar Romanus reges Viennam intrare per Gurceñ hortabatur. Disputatum est in ea re aliquãdiu / Quom Pannonicus Senatus iter hoc non probaret. Verum Sigismundus a Cardinali ad hoc quoq; iter Cæsareo nomine rogatus / utq; fratrem cum liberis induceret postulatus est, Sigismũdus hisce uerbis ad Cardinalem usus est. Ego relicto Poloniæ regno patrio solo / ut sacram Cæsaream maiestatem uiderem / huc perueni, quare non solum Viennã, sed (si sua maiestas iusserit) quocũq; lubuerit seq libenter uolo, q̃quidem aliã de sua maiestate fidẽ nunq̃ habui, quã de integerrimo principe cõsanguineo & maiori honorãdo sperare liceret, fratrẽ cũ liberis mecũ sũ ductur⁹ qui uelint nos sequañ. Hæcq; ad Cæsarẽ iussit referre, fertur et suis loquutus esse / se in Cæsarea fide nihil dubitaturũ, ire decreuisse quo fortuna psuaderet qui uellent illũ sequerentur, sed facile Sigismũdi uirtus hæc psuasit. solet plerũq; fieri ut homines ex seipsis aliorũ uirtutes metiantur, ita dũ Sigismũdus cõstantis integræq; fidei existat, leui negocio Cæsareum animum, ex cuius sanguine ortum duxit, suis uoluntatibus parem cognouit. Gratum fuit hoc nunctium Cæsari, suntq; qui hæc uerba Cæsarem locutũ testantur, nunq̃ tantæ fidei Poloniæ regem pœnitentiam habiturum, futurum esse, ut eam sinceritatem illi pari beniuolẽtia persoluere possit & uelit. Tũ Sigismundi cognita sententia, ab uniuersis assensum, hicq; conuentus mox solutus, non nisi altera die Viennam peruentum est. Sæpius autem interim Miechouiensis uaticinium, cuius iampridem mentio

Apparatus singulorum.

Excepiendi alternis ordo & modus.

Cõsultatio an Viennã eundũ.

iampridem mentio facta, memoriæ incidit, reges Cæsarem ante sexdecimum Iulij diem non uisuros. Eo namq; die ex nocturnis Cæsare cum regibus conuenientibus Viennam iter cœptum, Eamq; urbem cuius Germania in ædificijs continuis parem non habet ingressi, Cæsareo iussu mira celebritate & summis honoribus omnium statuum ordinibus ultro obuiam prodeuntibus sunt excepti. Cæsar uero postq̃ tantos hospites digne susceperat, summa utrinq; liberalitate fouit. Postq̃ ad decimam nonam eius mensis diem peruentum est Cæsar & Reges & horum omnium consiliarij ad Cæsaris arcem conuenere, explosis his qui super uacanei credebantur. Cæsar Maximilianus latina oratione orsus reges longo etiam tempore adloquutus, eius oratiõis summa hæc fuisse perhibetur, ut inprimis moram aduentus sui humanissimis uerbis excusaret, deinde omnia quæ ad pacem communem atq; futuram affinitatem uidebantur necessaria adferret, postremo loco ad expeditionem in Turcas bellicam hortari cepit, & quam flagrantissimo animo annis plus uiginti eam fortunam & temporum commoditatem a deo optimo maximo dari postulauerit, luculentis uerbis exposuit, hisce immiscens quã sæpe per Ludouicum undecimum Carolum octauum & Ludouicum duodecimum Gallorum reges aliasq; externas natiões bellis grauissimis ab animi instituto sit auocatus, Iam uero quom a deo opt. max. occasio rei bene gerendæ sit oblata, his iam rebus se non defuturum, si modo regum principumq; Christianorum animi in eam egregiam expeditionem consentirent, operæpreciũ fore, ut quom deo fatoq; uolente ipse Cæsar tot populorum Reges, Pontificis uero aliorumq; regum legati adsint, omnium animos inuicta spe, his dumtaxat rebus sanctis accomodari, In hanc ferme sententiam Cæsar orationem absoluit. Responsum est regum nomine Cæsari a Strigonieñ Cardinale, Gurceñ dehinc plura uerba Cæsaris iussu fecit, ita ille dies consilijs absolutus fuisse traditur. Ad uigesimum secundum Iulij diem quæ diuæ Mariæ Magdalenæ sacra est. Cæsar cũ Regibus & reginulis ad diui Stephani insigne templum, cum summi Põtificis Regumq; legatis & omnibus principibus cõuenere, rite diuinis officijs peractis, Maximilianus Cæsareo habitu & maiestate amictus, in theatrum ad hoc erectum spectaculum conscendit, & regibus cinctus Annam Hungariæ regis filiam, per Strigonieñ Cardinalem matrimonio sibi uel alteri ex nepotibus rite assumsit, corona imposita reginã salutauit, Pari lege Ludouico regi Maria Philippi regis filia nupsit, Creati fuere paulopost aliquot a regibus milites, Dataq; a Cardinale benedictione sacrisq; rite peractis ad prandium itum est, Sequentes dies regijs epulis hastorum ludis torneamentis hisq; similibus absumpti fuere. Reges item & trium regnorum Senatus a Cæsare liberaliter uarijs donis munerati fuere. Sigismundus uicissim Cæsarem, & eos qui uel ex charis uel ex secretis erãt liberaliter muneribus honestauit. hæc omnia perpetuæ memoriæ digna tanto studio tantaq; fide supra quam dici potest gesta sunt, ut calamus ad ea scribenda deficiat, sunt tamen singula ab his quorum pridem fœci mentionem diligenter atq; summa fide perscripta, ego paucis quod reliquum erit absoluturus ad res Polonicas reuertar. His itaq; hoc ordine compositis, Cæsaris cum regibus fœdus die 28 Iulij Cuspiniano dicẽte publicatum fuit,

Vienna

Maximiliani Cæsar. ad reges oratio.

Cõtract⁹ initꝰ.

Anne Reg. coronatio.

Publicatio fœderum. 28 Iulij

blicatum fuit, in ea tamen publicatione nihil quod a secretis decretũ fuit memoratum est. Paulopost pridie Kaleñ Augusti reges tres Cæsarem in Nouam ciuitatem, quæ octo millibus passuum a Vienna distat sequuti, eo loco uenationibus alijsq; animum recreantibus rebus dies ferme tres absumpti. Tandem Cæsare regibusq; & Cardinalibus in unum coeuntibus plusculum temporis priuato cõsilio absumptum fuit, quo absoluto Cæsar Romanus cui in orbe sua ætate rebus gestis nemo anteibat, tribus regibus Wladislao Sigismundo, & Ludouico quos nunquam deinceps uisurus erat non sine lachrymis utrobiq; fusis supremũ dixit Vale, Anna Mariaq; iam filiabus obseruatis dimisit. Tercia Augusti Sigismundus fratrem nepotemq; pari obseruatiõe ualedixit, ipse Viẽnam reuersus est, summisq; denuo honoribus exceptus, reditum in regnũ parabat. At subita Danubij inundatione rupto ponte ad sextum Augusti diẽ remoratus fuit, ea tandem die, ualedictis prius & salutatis quarta eius mensis die Anna Mariaq; reginulis in regnum suum iter agressus est. Hæc conuẽtus huius summa est, qui Cæsaris liberalitate habitus summo amore obseruatus sine (quom tot populi fuerint) aliquo strepitu solutus erat. Fuere in hoc cunctis sæculis memorando conuentu Maximilianus Romanorũ impator, Wladislaus cum Ludouico filio Hungariæ & Boemiæ, Sigismundus Poloniæ Reges, Thomas s. Martini in montibus Cardinalis Archiep̃us Strigonieñ Constantinopolitanus Patriarcha, Matthæus Sancti angeli Cardinalis Episcopus Gurczeñ, Coadiutor Salisburgeñ, Leonis summi Pontificis legatus Episcopus Feltrensis. Petrus Vrrea Hispaniarum. Ropertus Angliæ &c. regum legati. Præterea ex Cæsareanis isti fuere. Archiepiscopus Bremeñ, ex Ducibus Brunsuiczeñ. Ioãnes Ratisponeñ Palatinus Reni. Vigilæus Patauieñ. Christophorus Labaceñ. Bertholdus Chyemeñ. & Georgius Vieñ Episcopi. Ex Ducibus Wilhelmus & Ludouicus fratres Bauariæ duces. Casimirus Brandeburgeñ Marchio. Albertus Meckelburgeñ. Vlricus Wirteburgeñ duces, Bertholdus Princeps de Hennenbergk. Georgius de Montfort. Carolus de Oeting. Georgius de Schaunberg. Ioannes & Vdalricus de Hardegk. Comites insignes. Ex Satrapis Proceribusq; & aulicis plurimi quos adscribere negocium non postulat. Ex Pannonia & Boemia fuere præter Cardinalem Archiepiscopus Coloceñ. Georgius Quinqueclesieñ. Stanislaus Olomunczeñ. Ladislaus Vacieñ, & Michael Bozneñ episcopi. Georgius Brandeburgeñ Marchio. Carolus Munsterburgeñ dux. Ioãnes Comes de Canyscha. Ladislaus de Sternbergk regni Boemiæ Cancellarius. Præter hos quãplurimi insignes tã Hungari q̃ Boemi fuere. Ex Polonico uero Senatu erant Matthias Dreuicius Wladislauieñ. Ioannes Lubrãcius Poznanieñ, Petrus Thomicius Premislieñ Episcopi. Christophorus de Schidlouicz Craccouieñ & regni cancellarius. Nicolaus Firleus Sandomirieñ. Nicolaus Radiuilus Vilneñ. Andreas Tanczinus Lublineñ. Georgius Mariemburgeñ Palatini. Lucas de Gorka Castellanus Poznanieñ & maioris Poloniæ p̃fectus. Nicolaus Schidlouicius Sandomirieñ. Stanisla9 Ostrorogeus Kalisieñ. Andreas Coschieleci9 Voniceñ et regni quæstor. Castellani Stanislaus Halicius magnus regni Marscalcus. Ioãnes Pilecius Lublineñ præfectus. Ioannes Tarnouieñ dñs, fuere item ex Lithuanis atq; Prussis

Valedictio Regum.

Qui Viennę cõuenerint reges.

Antistites.

Germani principes.

Comites.

Proceres.

Ex Hungaria & Boemia. Optimates.

Polonici Primores.

atq; Prussis plurimi in negocij cū ordine necessitatē assūpti. Cæterū ex uniuersa Polonia multa nobilitas in eam expeditionē assumpta fuit. Decorarūt hūc quoq; conuentū uiri doctissimi, nā præter eos quos Vienneñ Gymnasiū (quod in uniuersa Europa nulli secundum est) eruditissimos habet, accesserunt Petrus Mota sacrarum litterarum professor, homo tum consilio tum eloquētia clarus/Ioannes Cuspinianus Vienneñ præfectus/Ioānes de Bannissis/Iacobus Spiegelus/Ioannes Renner/Paulus Oberster. I V Doctor/Ioannes Stabius/Sebastianus Sperantius/Richardus Bartholinus/Georgius Tannsteter Collimitius/Ioachimus Vadianus/Gaspar Vrsinus/Philippus Gundelius uiri tres mihi amicissimi. Cæsariani omnes. Hieronymus Balbus. Ioannes Dantiscus, & pleriq; alij in re litteraria insignes. hæc aliunde accepi. Reliquum forte non ab re his inserere licebit/quod uel ex his quibus res magis cognitas fuisse constat accepi. Altius supra narratum est, quibus ex causis Maximilianus Romanus imperator/in Sigismundum principem negocium assumpserit, paulopost adscriptum est. quibus item occasionibus res alio uersæ meliorem induerint conditionem. Iam postremo quæ hoc conuentu publice acta fuere annumerantur. quædam uero priuata hoc conuentu firmata fuere, quæ ego quantum licebit his mox subscribam. Conuenientibus igitur Romano Cæsare, Hungariæ Boemiæ & Poloniæ tribus potentissimis regibus, positis primo loco simultatibus atq; odijs, fœdus perpetuum miro omnium consensu factum, successit fœderi noua inter reges atq; alterna affinitas, qua utrinq; dotium onere regna liberarentur/res sane reipub. utilissima, Suscepta tertio loco a Cæsarea celsitudine Polonica res in curam, fœdus cum Moscho schismatico nuper pactum, uel a Cæsare reuocandum, uel per legatos inter Sarmatiæ regem & Moschorum Tyrannum honestis conditionibus pax firmanda esset, fratrum Theutonicorū in Prussia magister, per Cæsarem quoq; ut Poloniæ regno infra certum tempus debitum præstaret inducēdus uel deserēdus omnio, utrinq; hostes cōmunes esse, tempore dehinc idoneo in Turcas expeditio decreta, Regibus, ut firmiora essent omnia, & ut citius faciliusq; pro republica cōtra Turcas assumeretur expeditio, de fœdere & pace inter Cæsarem & Senatum populumq; Venetum agere uisum est. Designati fuere ad hoc negocium ex Panonico Senatu legati. postea quod ex ærario comeatus non daretur remorati. Poloniæ uero rex Matthiam Dreuicium Wladislauieñ præsulem & Raphaelem Lesnicium ex Senatu ad hanc prouinciam legauit, iunctus est illis Ioannes Dantiscus a secretis regijs iureconsultus ac poeta, hij paulopost ad Venetum Senatum bis summissi, uel quod conditiōes pacis importabiles uiderentur, uel quod Veneti belli finem potius expectare uellent (quod citius crediderim) infectis negocijs ad Cæsarem, deinde in Poloniam postq̄ satis diu his rebus præfuissent, redierunt, relictus est apud Cæsarem Ioannes Dantiscus qui postea aliquot uicibus apud Venetum Senatū Cæsareo nomine uerba habuit, sed quom nec ille proficeret, diu apud Cæsarē retentus, uix uno circumacto anno/ad Sigismundū dimissus est. Emporiū etiā Wratislauieñ extinctum & in Posonieñ conuentu deletum fuit, negociandi hincinde iterum libera potestas data est. Interea dum Sigismundus apud Posonium in expe/

Viri eruditione clari.

Acta in hoc cōuentu.

Tentatio fœderū inter Cæs. & Venetos.

Polonici ad cæsarem legati.

Emporiū Vratislauieñ sublatum.

sonium in expectatione Cæsaris ageret apud Polonos acta referre, hic negocium postulat. Sigismundo enim regnum egresso, paulopost Tartaros in Russiam erupisse nunctiatum fuit. Indictum est a regni magnatibus, & his qui domi in hos usus relicti fuerant apud Craccouiam consilium præsidioq; ordinato. septingenti equites in Podoliam missi fuere, quibus ut in Trebowla congregarentur commissum fuit, tardius uero mandatis parentibus & uix ad medium congregatis, subito impetu in ipso Trebowlio oppido a duobus Barbarorum millibus nihil tale suspicantes & adhuc dormientes 13 Martij inuasi, Ioannes uero Tworowsky omni seculo ob militiæ disciplinam laudandus miles, tunc copiarum præfectus inopinato periculo nihil territus, milites ad arma congregat, qui imperio parentes, incredibili audacia Scythas oppido eiecerunt. Barbari consilio mox capto oppidum circumdabant, atq; hinc incendium parant, quo facilius militem mercenarium cuius paucitatem cognouerant, ad unum præhenderent. Præfectus re cognita, quod paucum haberet militē, & quod in oppido nulla ferme defensionis spes esset, p pontē duobus tantū desideratis ex oppido militē abduxit. pro eo deinde ponte tota die dimicatum, a Tartaris nihil factum est. qui sic uotis nō potiti abiere. Poloni uero milites sub arcem Buczasz ducti atq; ibi congregati, scythas ad Medzybosium usq; persequuti, uerum hostes iam uisa oportunitate in manipulos dispersi tribus itineribus fuga dilapsi sunt. Paulopost Nicolaus Camienecius Craccouieñ Palatinus & præfectus, Polonici quoq; exercitus dux summus 13 Aprilis extremum clausit diem, hac nouitate ad regem perlata pro dignitatibus summo studio, uarijs modis etiam Cæsareo suffragio apud Sigismundum laboratum fuit. Obtinuit tandem Christophorus Schidlouicius regni Cancellarius supremus (præter patriam consuetudinem quod simul Cancellarius esset mansurus) in Cæsaris gratiam. Palatinatum & præfecturam Craccouieñ, in ea re tum rex & senatus cum etiam populus Polonicus, quod uir dignus, consilio sincerus, fide integer, & apud omnes gratus esset, lubenter & nō immerito Cæsari gratificati. Qua re Andream Cosczielecium uirum summū, quom Craccouieñ præfecturæ competitor esset, ita mærore confectum fama erat, ut ea causa & quod nuper filij interitus sibi nunciatus fuisset, paulopost in ægritudinem lapsus, medicis nō proficientibus, mortem oppetijsse credatur. Barbara regina secunda Iulij die præcædentis noctis prolem secundam enixa, filiam, quæ postea baptismatis fonte lota Annæ nomē accepit, genuit, fuere qui ingrato animo hoc ferrent. Rex uero inuicti animi homo, qui nullis unq̄ fortunæ etiam casibus mouetur, læto animo & hoc donum dei afferens idq; grata mente suscepit. Totum hoc tempus aquarum inundationibus molestiam adferebat. Tartari a suo proposito auocati, legatos Craccouiam miserunt qui in Kazimiria regis aduentum expectabant. Reliqua Sarmatiæ negocia domi forisq; eo tempore tuta fuisse constat. Sigismundus uero sexta Augusti die Viennam egressus magnis itineribus in regnum festinabat. est eo itinere a Stanislao Olomuceñ præsule eundo in Kremsirio ac in reditu apud Wischouiam summis exceptus honoribus simul cū magnatibus liberaliter & magnifice habitus. Deinde in Olomuncz omnibus ciuitatis ordinibus effusis summa ue-

Tartarorum in Russiā eruptio.

Nicolai Pala. Cracco. mors.

Altera filia Anna nata.

fusis summa ueneratione exceptus, pari officio ac rex eorum habitus est, ea enim ciuitas præter ædificiorum formositatem humanissimum habet populum. Sigismundus deinde ad 19 Augusti diem Craccouiam ingressus. Barbaram reginam ex proximo puerperio non integre sanam reperit. Consilio dehinc uario habito, hi qui ex itinere longo defatigati remissi fuere. Andreas Cosczielecius ærarij præfectus quom ex Vienna rex rediret subita ægritudine correptus, ad Icinum oppidum uectus eo loco testamentum composuit, indeq; Craccouiam allatus 6 Septembris die mortem obijt, idq; uel ex mœrore post filij mortem concepto, uel quod frustra de certis dignitatibus consequendis factum credebatur, quicquid est constat tamen dysenteria eum extinctum esse, homo regijs comodis natus, omnium primus qui salinarias officinas restituit, & in meliorem formam omnes prædecessores superans renouauit. tantæq; fuit industriæ ut omnia ferme uectigalia, tam ad ærarium publicum, q̃ ad priuatam rem regiam pertinentia solus magna integritate & singulari fidei constantia administraret. Eo sublato Nicolaus Schidlouicius Quæsturæ officium adeptus, Scepusieñ uero Sathorieñ & Auschwinceñ ducatuũ præfecturas, magnæ item Craccouieñ procurationis officium Nicolaus Iordan obtinuit. salinarum præfecturam Ioannes Boner Rege omnino uolente et Senatu persuadente obtinebat, homo & regi charus, & reip. summe necessarius de utrisq; ob singularem uirtutis et fidei integritatem optime meritus, hic non parum sæpe suis amicorumq; opibus reipu. subuenit, res regias summa dexteritate tutatus, in omnes omnium ferme ordinum publicas seu priuatas personas singularibus beneficijs benemeritus, ita regni rebus adfectus, ut sua quæq; negligeret, & reipu. se accommodaret. huius ingenio Andreas Cosczielecius salinarum ordinem restituit, quas ipse postq̃ illius nomine administrasset, ut supra narraui adeptus, longe q̃ unq̃ antea fuere melius instituit, ac maiore commodo administrauit. Eo quoq; mense, Ioannes Thurzo Wratislauieñ Episcopus a Federico Legnicio duce Craccouiam legatus, ut matrimonium inter eum & Elizabet Sigismundi sororem nuper, dum reges Posonij fuere, initiatum perficeret. Ea res dum paulo ante, ut retuli, firmata esset, facile obtenta, non multo post, ut infra adscripturus sum, finem accepit. Legatus perfectis rebus ad Federicum principem in ultimis Septembris diebus expeditus redijt. Interea ex magna forte undiq; aquarum inundatione cæterisq; malis humoribus aer infectus ex contagioso & pestilenti morbo pleriq; apud Craccouiam insigniores etiam absumpti fuere. Sed & Barbara regina Sigismundi consors subita ægritudine præcipitata morte extincta est. Varias de illius morte opiniões fuisse apparet, fuere qui apoplexia tactam crederẽt, nõ defuere etiam qui culpam in medicum retorquerent, illud non inficias eo, neq; hoc improbo, mihi tamen constat partus seu puerperij (ut aiunt) legibus non seruatis, neq; post purgationis tempus ad mortis usq; diem integre restitutam fuisse. Incidit clementissimæ reginæ mors in annum tunc currentem M.D.XV. diem secundam Octobris, quæ ab omnibus ordinibus tanto maiore luctu atq; mœrore deplorata est quanto maiore fortuna Polonia ea regnante a deo optimo max. prædita fuit. Funus eius sumptibus maximis et splendi-

Olomunt[ium]

Andreę Cosc[ie]lecij mors.

Successio officiorũ quorundam.

Ioan. Boner.

Proci Friderici [Lignicen.] pro. Elizabet.

Pestis Craccouię

Barbarę Reginę mors. 1515

1515

Barbarę Reginę Encomium

do obsequio celebratum. Corpus uero in eo sacello quod postea Sigismundus rex diffractū, suæ Barbaræq; memoriæ magno sumptu ac cultu a fundamentis nouis extruxit tumulatum est. Barbaræ uero uirtutes atq; laudes tot fuere, ut si tantæ reginæ clarissimas dotes referre oporteret, mortali exutam corpore ad diuorum mox consortia assumptam fuisse credere operæprecium erit. Nam ut corporis dotes & ingenuos humanosq; mores (quibus summe dotata fuerat) oratione non percenseam, constat nullā unq̄ in tam alto loco egisse fœminam, quæ in religionem & sancta tam pia, in subditos tam clemens, in egenos tam misericors, in omnes deniq; ordines & hominum status tam benigna & placida semper fuerit, neminem unq̄ lædere, ab iniuria omnes tueri, regni ritibus ac moribus se cōformare, noxijs sæpe principē placatū reddere, & quod uel maxime cōtra hominū qui in alto agūt mores ē superbire nunq̄, sed summa in humilitate plusq̄ reginam oporteat uiuere, totam deniq; uitā per omnes fortunæ casus innocenter sancteq; peregit, ut ex hominum consortio sublatæ diuorum merito beatæ debeantur sedes, hac re effectum est ut sicuti uita sanctior omnibusq; charior & gratior, ita illius immatura lugubrisq; mors, omnibus fuerit acerbior atq; tristior. Hæc ex minimis Barbaræ uirtutibus adscribere placuit, dabit illa mitis parce de se spero loquēti ueniā, quæ uiuēs nulla ambitione unq̄ iactata uel superbia tumescēs irata fuit. Hæc Barbaræ mortis summa est quæ ad diuos relata Polonorum patrocinium hactenus assumsit.

Stanislaus Iaroczki morit.

Paulopostquā illa absumpta fuit, Stanislaus Iaroczki eius aulæ præfectus subito item morbo prostratus decima Octobris die noctis sequentis extinctus est. Barbara itaq; mortua, & rebus Lithuanicis sic postulantibus Sigismundus in Lithuaniam iter parabat. Polonicisq; rebus domi ut tempus postulabat compositis, ordinatis item quæ ad Elizabet sororis expeditionem pertinebant, sexta Nouembris die Sigismundus cum Heduigi & Anna liberis ac Elizabet sorore Craccouiā egressus. Sandomiriā cū liberis ipe petit, illa Legniciū ad Federicū ducem sponsum profecta est, paulopost nuptiarū festa pegit. Dabit iam mihi Polonicus lector hoc loco ueniā, quod his intermissis rebus parum alio quam assumptum postulat negocium stilum conuertam.

Seuerini Bethmani iunioris mors.

Dum nuper contagione ut supra narratur multi absumerentur mortales, Seuerinus Bethmanus iuuenis nobilis omnibus item redimitus uirtutibus in ipso flore cōtra parentum spem ea sæuicia nona Octobris extinctus est, hanc mortem Seuerinus pater, adeo perturbato animo tulit, ut postq̄ Sophiam filiam Seuerino Bonero insigni iuueni matrimonio ad 23 Octobris diem tradidisset, ipse ad 28 eius mensis diē uitā cum morte nimio mœrore confectus mutaret, confecit mœstum etiam animum in tanto uiro annorum numerus, qui nonagesimo quinto ferme ætatis anno ex hac uita migrauit, inter ciues tota Sarmatia opibus insignior, iamq; in alio parum digredior ab incepto.

Vissenburgiū oppidum describitur.

EST IN Heluetiorū ultimis finibus clarū atq; isigne Wissenburgiū oppidū quod hac ætate apud Alsaciam describūt ad Vogesi montis radices situ amœnum conditum, collibus undiq; humilibus clausum, nemoribus uarijs arborū generibus ad occidentē fœlix, tellus cœli benignitate frugifera, oppidū ab omni pte natura, atq; deide hūana firmatū idustria, Lutherus amnis cuius fontes in ipsis

tes in ipsis montibus paulo altius septem millibus passuum ab oppido surgũt penetratis iam montibus per medium interluitur, qui ubi sub oppidi mœnibus elabitur, stricto alueo duobus millibus passuum præcipiti cursu in Rheni fluuium uno hostio exoneratur. Loci tanta est uetustas, ut etiam apud nullos rerum scriptores eius origo reperiatur. Sed dum annis ab hinc octingentis nonagintaquinq; Dagobertus Gallorum rex, postquã ob patratam in sancta loca tyrannidem, ad diuinum raptus tribunal, a diuis pro commisso scelere accusatus, flagellisq; cœsus, & ad diui Dionisij preces restitutus esset, in eo loco quem diu antea Wissenburgium appellatum suis litteris declarat, insigne ac regale monasterium infinitis extruxit sumptibus. Monachis diui Benedicti profitentibus sectam, tradidit. Addidit regalibus his ædificijs agrũ copiosum atq; fertile, oppidũ ipm & circum loca quæ Gallorũ tunc parebãt impio assignauit, oppida præterea, uillas, arces, uectigalia, immunitates, & iura pleraq; contulit, ab omni item regum principumq; iugo exemit. Tanta etiam postea huius cœnobij maiestas fuit, ut Marchionem Badeñ. & ex Reneñ Palatinatu plerosq; haberet feudales, perfectis rebus omnibus quæ Dagoberto ad tantam rem uidebantur ex usu, coronam ex auro argentoq; (ut fertur) mixtã, decem octo cubitorum per transuersum circuli latam ornatissimo templo appendit, hæc item quæ regali munificentia fratribus assignauerat, litterarum munimentis perpetuis temporibus seruanda firmauit. Dagoberti litteræ, quibus diuinam in se iustam testatur iram, quibus item cœnobij agrũ finibus intercluderet in eo loco habentur, quarum exemplum (nisi omnino extraneum uideretur) his adscriberem, dehinc res fratrum supra annos septingẽtos gloria atq; opibus in immensum creuere. Tum Wendelinus quondam Abbas oppidum muro quadrato saxo cinxit, turribus propugnaculisq;, aggere, uallo, fossis, & pomerijs muniuit, ita paucis temporibus oppidũ natura alioqui munitum humana industria auxit, ut potentissimo principi paulopost belli studio non cederet. Sed quom ferme omnia Wissenburgeñ Abbati fœliciter accessere, extra oppidum in monasterij fines arces templaq; magnis sumptibus constructa sunt, apparent hodie magnorum ædificiorum ruinæ, ab oriente 300. passibus diui Remigij arx munita, hac ætate in Abbatis manibus, a meridie 100 passibus diui Pantaleonis insigne templum, quondam per Federicum Reni Palatinum, dum res Philippi nepotis tutandas susceperat uiolatum, postea ne in oppidi periculum extaret, ex aliqua parte deiectum, ad occasum 500. passibus diui Germani templum fuit, olim etiam propter hostiũ metum solo æquatum, a Septentrione 500. passibus diui Pauli arx fuit pulcherrima quam maiorum nostrorum ætas pari metu demolita est. Aliæ item arces atq; oppida in horum manibus fuisse constat, fortissima omnium Barbenstina arx fuit, ante meam ætatem ingenio pro Troten nobili Palatini Reni Marschalco intercepta, reliqua plurima tam arces q̃ oppida in feudum collocata a monasterio alienata sunt. Quando uero ex fœlicitate & opibus plerumq; surgit superbia, eamq; mox ambitio, auaricia, & multa malarum artium studia comitentur. Factum est ut cum religio optima in dominandi libidinem uerteretut, abiectis plebeis pleriq; ex patricio ordine nõ

Fundatio monasterij Wissenburgensis.

Wissemburgeñ cœnobij opes.

Vendelinus Abbas.

cio ordine non religionem, sed monasterij opes assumserint, hi dum præfecti rebus essent, sacra officia cultum atq; religionem in alios retorquebant, ipsi dominandi libidini intenti ocio marcescere, suis quisq; auxilia præstare, atq; hinc finitimorum principum odia conflare, periculum atq; ingens negocium facere studium fuit. Hinc Wissenburgum oppidum mænibus fortissimis natura arteq; nulli in Imperio secundum Romano Cæsari & imperio Abbatis assensu populi item miro desyderio accessit, perpetuis temporibus a monasterio disiunctum est, his tandem artibus ad Friderici Philippi Reni Palatini patrui tẽpora monasterij rebus qui ubiq; opes distraherent præfecti sunt. Fridericus sub boni specie eam uitã corripere intentus mutata religione, eiectis his qui Diui Benedicti institutum quanquã superbe sequerentur. Præpositurã (ut uocant) efficere satagebat, eam rem dum frustra sæpe tentasset belli fecit negocium, quod a Wissenburgeñ quibus Friderici institutum suspectũ erat, cum monasterio simul susceptum est, leuibusq; belli studijs aliquandiu afflicti in apertum bellum tandem peruentum est. Interea fuere apud Fridericũ Palatinum qui maxime ad oppidi obsidionem hortarentur, leui negocio eius deditionem posse efficere rati, atq; ita princeps optimus accenso animo, uel ut institutum expleret, uel ut nobile oppidum ab imperio receptum subigeret. Wissenburgeñ (non nuncciato bello) obsidione cinxit, & tribus ferme mensibus uarijs belli artibus machinis ignibus superne iactatis missilibus atq; tormentis frustra molestauit, donec dux exercitus cohortem unam (quæ ex oppido eos qui ligna inciderent, atq; proiecta in flumen in oppidanorum usum defluitarent, tutandos missa fuerat) explorans a uelitibus cognitus, fugiensq; a Wisseñ. captus est, qui hunc ducebant facile per cognita loca Wissenburgeñ manus euaserunt. Dux paulo post pacem atq; fœdus inter Federicum & Wissenburgeñ confecit. Magna crudelitate Federici milites in ea obsidione usi. Diui Pantaleonis templum uiolatum stabulum publicum fecerunt. Vineta securibus inciderunt. Frugiferas undiq; arbores adempta cortice denudarunt, & quicquid ad hominis accederet usum insatiabili animo absumpserunt. Hoc malum Federico ignorante & exercitus duce intercepto factum certo constat, quom enim Friderico pro restituenda religione belli negocium assumptum credatur, esse non poterit, ut eo permittente hæc fuerit admissa crudelitas. Cæterum oppidum, Diuorum Sergij & Bacchi quorum corpora illic requiescunt præsidio, quod ab omni incõmodo ferme seruatum est, tutatum perhibẽt. Expleto iam ad paruum interuallum bello, Comitibus magnatibus atq; nobilibus qui tunc monasterio præfuerant plerumq; absumptis, nihilominus in Palatini gratiam ex plebeis ueram religionem obseruãtes introducti fuere, atq; ita dominandi libidine extincta, uerus dei cultus crescere cepit, donec iterum Philippus patruo absumpto res susciperet. Is dũ multam haberet prolem dum item nobilitas sub eo magnam haberet licentiam ut res Wissenburgeñ quas ipse ex officio ab imperio tutandas susceperat, denuo a quibusdam molestarentur, non ignorans assensit. Henricus Abbas per Ioannem Troteñ quasi belli ducem Philippi aulæ Marschalcum miris artibus afflictus, donec Romam ire compulsus, Alexandri sexti temporibus, Philipp

Vissenburgiũ inter imperij urbes.

Fridetici Palatini in Vissenburgeñ uiolẽtia.

Philippus Palatinus Reni.

Henricus Abbas.

bus Philippum Palatinum & Ioannem Troteñ cum uniuersis complicibus anathemate in septimum ferme annum persequutus est. statuit inde in Germaniam redire, sed fato apud Florentiã decessit. Successit huic Wilhelmus Abbas qui & ipse Romam profectus ad Iulij secũdi tempora permansit. Philippus uero a Iulio censuris sæpius innodatus satisfactionem recusauit. Verũ quom ãno ab orbe redempto M.D.III. Bauaricis motib⁹ tota ferme Germania arma sumpsisset multorũ principũ populorũq; animi in Philippũ euecti armis undiq; lacessitus ẽ. Tũ primũ Wissenburgeñ Abbas iclinatis ubiq; Philippi rebus, conditionibus non tam honestis quam uecessarijs cum Philippo per Ludouicum Spirensem episcopum reconciliatus est. Soluitq; Philippus Abbati quindecim millia nummũ aureorum, quom supra centum millia aureorum Monasteriũ & Wissenburgeñ in hoc bellum perdidissent. Itaq; restituta est pax Wissenburgeñ, postq̃ annis plus centum sæpius perturbati, tunc uero annis ferme quadraginta continuis molestijs afflicti fuissent. Fuere item aliæ conditiones inter Philippum & Wissenburgeñ, quæ & si mihi cognitæ sint, quom tamẽ ad institutum meum non pertineant, prudens ob misi. Post Bauaricos motus Philippo mœrore (ut suspicantur) sublato, Illust. Ludouicus filius nunquã sine honoris præfatione nominandus in Palatinatu successit. hic in nullo patrem sequutus, optimum se principem primis initijs gessit. Wissenburgeñ atq; Landanos reliquaq; oppida, quæ patris assensu sæpe molestata fuere, singulari gratia prosequutus est, in hanc ætatem tantam de se spem præbuit, ut facile appareat, per eum quandoq; restitui posse religionem & diuinum cultum, a maioribus perturbatum & extinctum. faxit deus optimus maxi. ut opibus crescat, & ceptis uirtutibus domi forisq; pace sub statera iusticiæ cuncta diu sancteq; gubernet. Iam ego longa tediosaq; narratione digressus, stilum reflecto, ut ea quæ animus instituit describam. Stantibus apud Wissenburgeñ his longis periculosisq; bellis, fuere qui domi, aut ocio torpescerent aut honestis studijs priuati patriam fastidirent, hincq; factũ quod multi egregij iuuenes in externas nationes migrauerint. Alij in Galliã quæ propior est, alij in Italiam, pleriq; in Sicambros transiere, multo maior pars in Poloniam concessit, atq; ita a centũ ferme annis Polonia potissimũq; Craccouia Wissenburgeñ domicilium fuit, mihi tamen non constat, qui primi in hoc regnũ ingressi sedes hic quæsierint. Cõstat uero ãnis ab hinc octuaginta circumactis Reinfredũ uirũ nobilem ex Wissenburgo ortum propter belli metum relicta patria Poloniam ingressum apud Craccouiam sedes locasse, hic Polonica assumpta coniuge, paulopostq̃ res firmauerat, Seuerinum Bethmanum genere quoq; nobilem in Poloniam deduxit. Reinfredus uero absumptus testamento Seuerino coniugem reliquit, qua assumpta apud Craccouiam omnes honores magistratusq; adsequutus est, paulopost Federicus Ioannes Iodocus & Nicolaus Schillingi Wissenburgeñ Craccouiam inducti fuere, qui item paulopost Christophorum Petrum & Federicum hersteinos ex matre Germanos & Ioannem Heluigum nepotem item Wissenburgeñ euocarunt, hos sequutus est Ioannes Bethmanus Seuerini ex fratre nepos & aliquanto postea Erasmus ac Vendelinus huius fratres, & ipsi Wissenburgeñ

Guilhelmus Abbas.

Ludouicus Palatinus.

Vissenburgeñ pleriq; Craccouię consedere.

Reinfredus. Seuerin⁹ Bethman.

Schilling.

 hos iterum Ia

hos iterum Iacobus Vetter sequutus, posthunc Iodocus & Iacobus Ludouici Decij fratres, post hos Federicus & Balthasar Smalczij fratres. postremo Ioannes Lembock & multi alij adolescentes egregij hoc regnum ingressi sunt, atque ita in hanc ætatem Wissenburgeñ Polonia patria habita est. Fuere præterea multi, qui aliquanto tempore uel litterarum uel mercium gratia commorati in patriam redirent, eos ego frustra annumerarem, cum has sedes non susceperint. Euocatus est item a Wissenburgeñ in hoc regnum uir insignis Ioannes Bonerus Landanus qui primis initijs ex mercatura opibus auctus, & apud diuæ memoriæ Kazimirum, Ioannem Albertum, & Alexandrum Poloniæ reges in præcio habitus est. Postq̃ uero Inuictissimus Sigismundus princeps res tutandas suscepit, tanto studio remp. sæpius sustinuit, ut haud infimũ meriti gratiæque locum apud regem assequeretur, authoritasque illius usque ad inuidiam, malæ hominum ætatis uicio, creuerit, Bonerus Iacobum & Federicum Andreamque fratres Poloniæ induxit. Huius ego uiri summas laudes nisi me æmulorũ inuidia deterreret, merito pcenserẽ, uerũ ne adulationis nota (qđ 14. ferme annis illi addictus fuerim) culparer, alio loco pscribẽdas adseruare interim placuit. Habes iã lector sub cõpendio quot Wissenburgeñ Sarmatiã ingressi sint, si mõ eorũ familias, qbus in Polonia auctæ sũt, referre liceret, cognosceres haud paruã Cracco. sobolẽ Wissenburgeñ sanguĩe p gnatã esse. Reinfredus, Seuerinus Bethmanus, Federicus et Nicolaus Schilling uiri ex Senatu apud Craccouiã decesserũt, Iodocus Schillingus, Ioãnes item Heluigus Craccouiæ quoque mortui. Ioannes Schillingus apud Posnaniam absumtus est. Christophorus Hersteinus apud Cassouiam uita excessit. Petrus item frater in Hungaria mortuus, reliqui adhuc quousque deo placuerit supersunt. Hæc de Wissenburgensium ingressu paucis adferre placuit, tu optime lector quod patriæ nostræ tam effusam fecerim mentionem, ueniã præbe. Iam ad institutum redeo. Posteaq̃ Rex Craccouiam 6 Nouembris die egressus, Sandomiriam peruenit, positisque in ordine rebus, designato item pro natis nouo loco, ad Lithuanos ipse concessit, Bresciumque oppidum perueniens, aliquãdiu moratus est. Redijt hoc tempore ex Romana urbe Reuerẽdiss. archipræsul Gnezneñ Ioannes de Lasko qui inter alia a Leone Romano Pontifice obtenta archiepiscopis Gnezneñ legationem in suam prouinciam perpetuo duraturam obtinuit, ut deinceps legati nati archiepiscopi Gnezneñ haberentur. atque ita Sarmatiæ rerum Anno M.D.X.V. finis fuit.

Ioannes Boner Landanus.

Gnezneñ Archiepiscopi legati nati.

SVPEREST ut res Prutenicas, uti supra pollicitus sum, in huius anni fine adscribam. Constat itaque post ultimum renouatũ fœdus seu (ut uocant) perpetuam pacem utrinque pace ac tranquillitate fines, nõ ruptis fœderibus tutatos esse, atque ita paulisper tam ordinis quam Sarmatarum res semper creuisse donec eo bello quod Ioannes Albertus in Daciam seu Valachiam infœliciter gessit, Ioannes de Tieffen magister Prussiæ morte extinctus esset, cui Fridericus Saxoniæ dux in magistratu successit. Erat utrinque eo sublato magna pacis spes, sed quom Fridericus pro homagio (ut uocant) sæpius frustra euocatus fuisset, ad extremum Prussia non præstito homagio excessit, paulo post magistratum cũ uita simul M.D.X. uti supra narratum est finiuit. Fuere tunc in ordine uiri

De rebus Prutenicis quędam

De rebus prutenicis

Ioãnes de Tieffen Mgr̃ Prus.

Fridericus Saxonię dux Magister Prussiæ.

in ordine uiri Germani (quos Commendatores appellant) consilio præstantes, qui nullum dehinc ex principibus deligendum putarent, ne uana auxilij spe a suis illecti, ordini cum Sarmatiæ regibus negocia contraherent, ne item principum more regales & importabiles sumptus facerent. Sanum profecto consilium primisq; conforme institutis, uicit tamen aliorum manus & Albertus Friderici Marchionis Brandeburgeñ filius ad magistratum assumptus est Ea res plerisq; optima uisa, tum quod ex alta magnaq; familia princeps esset, qui aliquando (uti ordinis institutum est) arma in Christianæ reip. hostes summere posset, cum etiam quod ex Poloniæ regibus secũdum maternum genus natus esset, id ad futuram pacem plurimi ex usu rati, nunciata fuit ea res Sigismundo regi primũ anno M.D.XI. in Nouembre ex Prussia, paulo post in diebus Iulij, Anni M.D.XII. Friderico patri atq; Alberto filio assensum est, tam a rege quam Senatu, conditionibus, quibus olim fœdus atq; pax firmata fuisset, nõ interruptis. Indicta fuere paulo post comitia pro diebus Nouembr apud Peterkouiam, ubi de his quoq; rebus cõsultum est. Interfuit his comitijs Casimirus Friderici filius Alberti Magistri frater, res uero omnes inter Polonos & ordinem, uti ex utriusq; commodo uidebatur, honestis conditionibus firmatæ fuere. Varij intermedij erant articuli, non multum ex usu omnium facere hoc loco memoriam. Suprema hæc summa fuit. Admittendum fore in Magistratum Albertum, qui Prussiam ingressus, maiorum more homagia præstare deberet, Polonos dehinc ad ordinem nõ suscipiendos, Magistro atq; ordini apud Roxolanos & Podolitas certam prouinciam perpetuo dandam ubi pro ordinis instituto, Christianæ fidei hostes excipere possent, quom sancti fœlicisq; belli huius apud Prussios (undiq; uicinis Christianis) copia his temporibus non sit. Duo millia item aureorum nummum quotannis a Polonis, quo facilius forte militiæ institutum prosequi ualeret, Magistro assignanda fore. Has cũ cæteris conditionibus Casimirus frater, Magistri ordinisq; nomine suscepit, a Sigismundo honoribus summis affectus muneratus dimissus est. Ad Albertũ fratrẽ Anno 1513 Prussiam ingressus, aliquãtisper ibi moratus per Mariemburgum oppidũ ab arce subductus, per pontẽ Istulam superauit, Gdaneñq; mœnia prætereequitãs, domum redijt. Interea quom Sigismundus apud Lithuanos ageret uti pauloante cœptum fuerat, Albertus pro homagio postulatus per Caziimirum susceptas conditiones reiecit, minime id sibi absq; Germaniæ Italiæq; magistrorum assensu suscipere licuisse exponens, atq; ita res omnes palam infectæ. Laboratum est interea summo conatu tum apud Leonem Pontificem Romanum, tum etiam apud Maximilianum Cæsarem, libelli item duo famosi contra Sarmatas uulgari Germanico incerto auctore scripti, & Federico uiuẽte sparsi iterum circumagi cepere, tria mox magnæ defectiõis indicia apparuere, primo loco ut Romanus Pontifex reiectis pacis ꝑpetuæ conditionibus denuo decerneret, secundo loco ut Cæsareũ auxilium his rebus accedere posset, tercio, ut Germanicæ nobilitatis animi exacerbarentur quæsitum est. Primum a Ioanne Laskeo Archiepiscopo Gnezneñ Romæ apud Pontificem & patrum collegium biẽnio sustinebatur, Secundum apud Maximilianum tanto studio sollicitatum, effecit, ut etiam

Albertus Marchio Brandeburgensis Mgr Prussiæ.

Pacta inter Magistrũ & Regẽ Poloniæ.

1515

Principia defectõis Prutenicæ

cum Moscho foedus in huius rei gratiam susceperit, atq; ea ex re Basilius per suasus, ruptis foederibus nuper cum Sigismundo factis, transcensis finibus nouum Lithuanis bellum intulit. quo fraude ac dolo Smolenceam arcem intercepit, ac paulopost apud Boristhenem (uti supra narratur) summo certamine uictus & castris exutus est. Verum postquã Maximilianus de rebus melius edoctus esset, ex iam prope hoste summus factus amicus est. Tercium apud Germaniæ nobilitatem (quã potissimum inflãmare studium fuerat) nihil efficere potuit, tum quod rei difficultatem altius forte repetebant, cum etiam quod integritas atq; uirtus eorum aliter monuere, igitur infecta undiq; re, ad illud tempus quo Cæsar Romanus Hungariæ Bohemiæ ac Poloniæ reges conuenerunt, ita actum fuit uti supra paucis adscriptum apparet. Postq̃ uero Sigismundus domum rediit, nouisq; molestiis tum ex Barbaræ morte, tum etiam nouis motibus affectus, & postremo ad anni finem Lithuaniam ingressus, Prutenicæ res fere per obliuionem neglectæ fuere. Interea Ioannes Laskeus urbem quoq; egressns est, & totum negocium hoc anno ex omni parte sub silentio delituit. Hæc iam Anni M.D.XV. summa est.

An. 1516. ANNVS iam dehinc post orbem redemptum M.D.XVI. uti uariis rebus mixtus, ita confusus mixteq; omnino referendus erit. eius mox initia Sigismundum apud Lithuanos excepere, atq; inde mox Balthazar Oderus a Maximiliano Cæsare ad hoc munus legatus, in Moschouiam Basilium principem adiit. sed dum is aliud præter spem & opinionem nunctium Basilio adferret, sed & Maximiliani Cæsaris alter orator cum pristinis adhuc mandatis perseueraret. Balthasar a primo legato qui ex primo foedere a Cæsare cum Moscho erat apud Basilium pro exploratore accusatus, parum interfuit, quin inique illi accidisset, adseruatus a Basilio Balthasar fuit, usq; ad dies Aprilis. tandemq; infectis negociis rediit. Maximilianus per hũc atq; quos postea summisit, apud Basiliũ summa cura egit, ut pacem inter Sarmatas ac Moschos nuper perturbatam restitueret, uel fædus per inducias conficeret. Basilius uero Cæsarem quod eum desereret accusauit, neq; facili negocio ab instituto reuocari potuit, ad quod nuper tanta cura inflammatus fuerat, Sigismundus in Cæsaris gratiam aliquantisper bellum distulit, sed quom pro Lithuania armis dumtaxat pax quærenda uidebatur, & ex longo bello plurimum attritis rebus Thauricus Cæsar ad hoc negocium ex debito suo ex usu accedebat, qui mox ad ueris initia in Moschos eruptionẽ parare iussus fuit. Interea reb9 etiã apud Pannones inclinãtibus, Ioãnes Karnkowskeus in Februarii principio eo legatus est, sed paulopost die tredecima Martii ante lucanũ Wladislaus Pannonum Boemorumq; rex Sigismundi frater, confectis iam annis sexaginta moritur. Ludouicum filium antea ad utrumq; regnum assumptum & coronatũ reliquit. Fuere dehinc plurimæ etiam apud Hungaros factiones, atq; suo quisq; (uti fit dũ princeps puer est) consilio usus in remp. aduertit, horribile est referre quã cito regnum illud nulli in orbe secundum, opibus armisq; potens, splendorem suum exuerit, atq; ex nuper domestica & paulopost etiam a Turcis accepta clade, uix dum respirans, uariis intricatum fuerit factionibus. Missi fuere in ea re ad Maximilianum

Lithuanica q̃dam.

Vladislai Regis Hungariæ mors. 1516

re ad Maximilianum Cæsarem a Sigismundo nunctij, ut Ludouici rebus mature consuleretur, nec Maximilianus grauissimo etiam bello implicitus eam oportunitatem neglexit. Ante uenit tamen Sigismundo absente Poloniæ Senatus, & Ioannem Laskeum Archiepiscopum Gnezneñ/ & Christophorum Schidlouicium Palatinum Craccouieñ/ comperta mox Wladislai morte, in Hungariam summisit, qui cum Cæsareis legatis & Pannonico Senatu Ludouici rebus, quantum temporum conditio postularet, summa sollicitudine atq; cura (uti iussi fuerant) consuluerunt, & ita firmatis paulisper rebus/ domum redierunt, in eundem postea usum ad Bohemiæ Senatum Andreas Thanczinus Palatinus Lublineñ, uir ingenij excellentis ad dies Nouembris summissus est. qui dum apud Pragam summis honoribus exceptus esset, atq; Cæsareanos aliquamdiu frustra expectasset legatos, infectis rebus redire coactus est. Maximilianus interea, quáuis Italicis bellis detineretur, memor tamē Viennensis fœderis, quod tunc litterarum apicibus firmatum erat/ de Sarmaticis rebus sollicitus/ legatos nouos ad Basilium designat, Sigismundum de Erberstein & Petrum Mraxium, uerum ad prouinciam tardius accincti non nisi in anni fine (uti infra dicetur) rebus principia fecere, Intereaq; nihil de Moschicis rebus tentatum est. Mox ad Iunij mensis initia/ Thauricus Cæsar/ qui nuper ex pacto, ut supra adscripsi, eruptionem in Moschos assumpserat/ arma parabat, nunctiatum est, per exploratores in Roxolanos & Podolitas statim futurum. Verum dum hæc fama frustra sæpe uenisset, atq; Thauricus Cæsar Sarmatis iure fœderis obstrictus esset, minime futurum a plerisq; creditū/ quod suscepta arma Tartarorū in Roxolanos conuerterentur. Quomq; duces & rerū (Sigismundo absente) præfecti cunctanter in eam rem animaduerterēt, & hostium nihilominus aduentus Podolitis nuncciaretur/ Martinus Camienicius Podoliæ Palatinus uir maioribus suis dignus prouinciam suam ingressus, Podolitum arma euocauit, sub exilibus copijs Stanislao Lanskroneo, Tworouicioq; Camieneceñ arcis præfectis in Podolia iunctus est. nec dum satis hostium animus exploratus fuit, dum Iulio mense Tartarus hostis sub quattuor ducibus quos Barbari Cæsareolos appellant. Russiam exutā præsidio irrumpūt, feruntur in eo exercitu Barbarorum supra triginta millia fuisse, hostes penetrata Russia haud longe a Busthio oppido castra posuere, Deinde uti Barbaris mos est, per cohortes destinatas uniuersam prouinciam igne ferroq; uastarunt, hominum pecorumq; prædam egerunt, ut omnes dato die ad castra semper cum spolijs redirent. His eruptionibus plerosq; districtus & oppida in cineres uerterunt, superato Tyra amne ad hunnorum usq; montes spolia legerunt. exustæ sunt hac eruptione uillæ Pannonum imperio subiectæ, quod in hominum memoria accidisse non constat. Cæterum hostes tanta in Christianos crudelitate usi quanta uictoribus Barbaris placuit. homines pecoraq; iuxta abegerunt, matronas puellasq; nobiles ad libidinem ac uoluptatem rapuerunt, feruntur supra quinquaginta millia hominū tūc abacta, præter eos quos tenera ætas, atq; annosa senectus, ad iter haud idoneos fecerat, ex his in frusta concisi, alij capite truncati, præterea pleriq; inter fugiendum exanimes relicti fuere. O infortunata hominum ætas & primum postq; fœlix Barbara

Legati Polonici ad Hungariā

Orator ad Boemiam.

Legati Cęsarei ad Moschum.

Tartarica in Russiam eruptio.

Calamitas a Tartaris illata.

fœlix Barbara absumpta malum, o misera tanto Christianorum sanguine re/spersa clades, quibus postea adsimiles quoq; fuisse constabit, sed o Sarmatiæ regnum reipu. Christianæ murus, fossa uallum & propugnaculum truculen/tissimis undiq; expositũ hostibus quod dum tantã sæuiciã atq; impetũ hume/ris sustines, non desunt tamen qui iniquis factionibus tuum perpetuum quæ/rãt exitium, atq; ultro infestissimos in te hostes reipub. Christianæ inuehant. sed hæc alias effusius/quom magis licebit deplorabimus. Interea dũ hæc ab hostibus Barbaris magna sæuicia undiq; aguntur. Sigismundus rex apud Lithuanos Moschicis curis anxie intentus/Senatui rempublicam tuendam assignauit, Christophorus Schidlouicius Craccouiensis Palatinus res rei/publicæ diligenti studio suscepit, apud Proscanum delectum conuocat nobi/les summo studio ut arma contra hostem sumerent cohortatus, iussus est suo exemplo alios euocare, aut ære publico militem comparare, dum uero neu/trum ex usu uideretur, ĩfecta re Craccouiã rediit, fuere ex patriciis qbus reip. malum auertere cura erat, congestis (sed sero) copiis ad Buscium oppidum paruaq; manu hostium uim sustinuerunt. Nam dum onusti præda in reditu essent, supra gentis morem Buscii expugnationem parant, an quod paludes quibus oppidum munitum insidet æstiuo calore exiccatæ essent, an quod ad omne nephas licentia fuerat parum constat, sunt tamen suburbiis incensis prohibiti. Altero postquam oppugnare cœperant die/omni congesta præda, digressi sunt ad quadraginta millia passuũ igne ferroq; omnibus absumptis Eos magnificus Nicolaus Firleus, Regni exercitus gñalis præfectus/cũ pro/ceribus Russiæ ac Podoliæ ad Wisnowicz usq; psequutus, sed ob paucitatẽ militum rem dimittere coactus est. Quom uero ex Lithuania (quod maxime sperabatur) nullum præsidium adesset, nec etiam ex Polonis exercitus sperandus foret, eo loco hostis intactus abiit. Martinus uero Caminicius cũ paucis copiis quas supra iunxisse docui & mercenario milite ex Medzybose educto hostium cohortem apud Treboslium fœliciter pugnando superauit & spoliis exuit. Item apud Podocium aliam cohortem 500 equitum ad unum fudit, sed eo loco ingens ab hostibus sæuicia patrata. Quom enim Barbari Sarmatarũ copias cognouissent, atq; de rerum summa desperassent/conuersi in miseras puellas & innocuos infantes, quos in prædã abegerant, in quibus fugæ nulla spes esset, irrumpunt crudeliterq; cædunt, atq; enecant. Præterea apud Wis/nouicium ducenti ferme hostium/præter gentis consuetudinem armis instru/cti superati atq; cæsi sunt. Hæc (dum hostes per licentiam uagarentur) conti/gere. Interea ex Buscio oppido reliquæ copiæ Nicolao Firleio duce Martino iunctæ uix supra duo millia equitum cõstituunt, hostes uero in ipsorum aspe/ctu prædam agentes in planos iam campos excurrerant, dũ Polonicus miles longe impar numero pugnam non suscepit, ita omnis illa hominum prædæq; multitudo abacta est. Fuere matronæ puellæq; nobiles atq; inuptæ plurimæ, quadrigis panno tectis auectæ. uiri uero, ut ex ĩsperato hostium manus incide rãt/ita uinculis colligati pecorum more pellebantur. Hanc Sarmatiæ regnũ iacturam per Iulium atq; Augustum menses accepit, docuit tunc rerum euen/tus in mora esse periculum, quod enim initio facili negocio auerti potuisset paucorũ negligentia,

Buscium a Tataris tentatum.

Caminicii V&9

Sæuicia Barbarorum.

paucorum negligentia, principe absente, ignominiã pariter & iacturam reip. pepit. Iam hinc Tartarorũ freque͂tes eruptiones/iterũ initia sumpserunt, quæ forte tam negligentia in tuendis rebus/quam populi peccatis merentibus, iusta dei ira, quæ ad sui uindictam tardius graditur/permissa creduntur. Nam postq̃ nuper res aliquantulum fœliciores esse ceperant, in deum ac religione͂ timor refriguit, no͂ modo diuina aliquibus neglecta, sed etiam dei religionisq; hostes fouere in usu fuit. hoc tempore (quod iam antea ceptum) iudæi magis in præcio habiti, uix theloneum aut uectigal ullum cui no͂ præfecti, aut quod saltem inuadere non cuperent, passim ea in re Iudæis Christiani submissi, uix etiam ex magnatibus & ipsis reipublicæ primoribus aliquis, qui rem domesticam per iudæum non curaret, iudæis in Christianos imperium permitteret/atq; citius q̃ christianos ab iniuria uel simulata eriperet. Recte itaq; quod deus quondam Hebreis minatus est/in hos co͂uenit, quia uidelicet dei ac crucis hostes contra legem diuinam ac canonum sanctiones fouerent/& ipsi hostibus suis expositi præda in direptionem fierent. Sic quoq; Armenis ius summum erat, circumuagabantur quidam per uniuersum regnum mercandi gratia (sic enim titulus fuit) qui non ignorantibus hijs, qui rebus præfuere/armã hostibus aduehere studebant. De Ruthenis profecto non habeo dicere, quando illi non longe a fide nostra recedant, licet cerimonijs longissime, sed æquabilius ferendi/quod utiq; parum interest/quin omnino nobiscum sentiant, in ipsis tamen fidei articulis ferme nobiscũ conueniunt. Præterea in seipsam respublica diuidi cepit, atq; iam Barbara e uita sublata/breui omnem ferme decoris speciem exuit. Irrepsit hoc malum pedetentim, atq; utinam non coalescendo in regni ruinam ante maturum fœtum interiret, ne sic in seipso diuiso humani generis seruatoris uaticinio in desolatione͂ cogeretur abire, hoc enim in multis rebuspublicis compertum est, quãdo malum pœna digna no͂ mulctatum, uirtus & benemerita non remunerata/sed passim ut quemq; libido tenuit ad uicia & rerum inuasionem licentia creuit, mox ex splendidissima specie turbata induta facie/in præceps cuncta ruere ceperunt. ad usq; lachrymas hæc ingemiscens adscribo, ita tamen se res habuere atq; in hanc diem creuere. Eo malo & quod pestifera sæuicia fortius q̃ anno superiore irrepserat, regnum adeo perturbatũ fuit, ut reipublicæ nuper subleuata species plurimum inclinaretur. Verum externis mira hæc uidentur, tanta licentia Barbaros ut sæpe in hoc regnum/quod etiam natura locorum facilem habet accessum excurrere, quicunq; existant qui Sarmatarum proprio etiam malo & reipub. irrecuperabili iactura rident incommoda, animum statim satiabunt, si crebras Barbarorum ex Thracia, Asia, Aphricaq; in eos populos atq; nationes, quæ natura locorum ac arte simul etiam armorum usu & regnorum excellentia antecedere se æstimant, meminerint eruptiones, ac eas dumtaxat clades quas in hominum ætate Pannoniæ Dalmatiæ Croatiæq; regna susceperint, præterea per Illiricum splendida Venetorum respub. passa est, sed etiã populi qui ad Germanos pertine͂t, in principatibus Carniolæ atq; Charinthiæ experti sunt. Taceo quod paulopost quã hæc Sarmatis contigerunt Mauri/parua manu/per mare Tyrrhenum uecti/apud ciuitatem ueterem spolia legerunt,

Causę tot in Poloniã Barbaricarũ excursionum.

Iudęorũ nimia dignatio.

Armeni.

Rutheni

Regnicolarum discordia

Incursiones in cęteras terras.

ſpolia legerunt, ac parum abfuit (uti fama erat) quin Leonem Pontificem Romanum pauloante digreſſum intercepiſſent. Quid in ipſa Apulia ſæpius noſtra ætate accidiſſe comperitur, & nouiſſimis diebus in Hiſpaniarum regnis Barbarorum eruptionibus patratum conſtat, qui Carolo maximorum in Europa regnorum rege præſente, per oceanum occidentalem, exigua claſſe aduecti, per licentiam impune ſpolia abegerunt. non deeſſet animus ſummas reipub. Chriſtianæ calamitates referre, ſed quom ad noſtrum inſtitutum non pertineant, miſſas eas faciam. libuit tamen externarum nationum afflictiões adnumerare, quo facilius Sarmatica mala ferantur. Si etenim populis gentibus ac regnis natura arteq; munitis, armis militibus ac opibus pollentibus hæc accidunt, multominus mirandum quod Sarmatarum regnum, omni ex parte hoſtibus permeabile expoſitum tot cladibus afficitur, quas tamen proprijs uiribus deo auctore aliquando auerteret, ſi non ab his quos minime decet, & Chriſtianæ pietatis uinculum merito cohiberet, ultro iniuſte imperentur. Euagatus parum ab inſtituto, redeo. Tartari quom impune ferme prædam abegiſſent, ſuperato Boriſthene, præda in Thauricum pauca manu miſſa, ſecundam parabant eruptionem. Sigiſmundus Thauricum imperatorem pro patrato ſcelere & rupto fœdere appellat, qui miſſis legatis facinus excuſat, in effrænatam iuuentutem rem omnem reiecit, antiqua fœdera renouare cupiebat, ultro arma in Moſchos & proprijs militibus hoc bellum ſuſcipere obtulit. Verum quom fruſtra cum perfido hoſte quodcumq; fœdus ſuſciperetur, nec etiam abacta præda reſtitui ſperaretur, res ad Poloniæ Senatum reiecta eſt. Interea egregium facinus pauci milites Sarmatæ ſuſceperunt, ſine ducum iuſſu, tranſcenſis Turcarum finibus apud Bialagrodeñ urbem, magnã uim ouium ex multis millibus abegerunt, hos Turci inſequuti particulari certamine adierunt. Sarmatæ quom nulla uia niſi quam ferro manuq; aperirent effugere poſſent, excuſſo metu, intrepide hoſtiũ incurſionẽ exceperunt, & dũ utrinq; aliquãdiu, Turci ꝓ præda, Sarmatæ ꝓ uita p̃daq; ſimul pugnaſſent, ceſis aliq̃t hoſtibus p̃da cũ uictoria Sarmatis ceſſit. Dũ hæc apud Roxolanos et Podolitas agerent, Baſilius Moſchus legiões nouas Lithuaniæ imiſit, uerũ nihil memorabile geſtũ, nec ad iuſtum etiam certamen uentũ eſt. Thauricus interea Cæſar, uel quod ocium fera gens ferre nõ poterat, uel quod patratum nuper contra ius gentium facinus excuſare uellet, omnem euentum non ſine gloria quod uictori ſpolia prædamq; ingentem, et a Sarmatis ex fœdere belli præmium deberi, uicto etiam pro adſeruatæ fidei integritate patrati facinoris ueniam non poſſe negari exiſtimabat. exercitum ex octuaginta equitum millibus (ut fama erat) conlegit, inſperataq; eruptione Baſilij fines tranſcẽdit. Baſilius ſubito motu perterritus, legiones ex Lithuania reducere iubet, uti res poſtulant. graſſantem iam ubiq; hoſtem prohibere ſtatuit, mira celeritate exercitum parat, eundemq; Thaurico Cæſari obuiam ſummiſit. Tartari coactam prædam abigere & reditũ parare iam ſtatuerunt, quom Baſilij exercitus pugnæ copiam expoſtularet. Tartari & adeptæ nuper ex Podolitis ſecundæ fortunæ memores, & Moſchorum apud Boriſthenem acceptæ cladis audaciores, cominus congreſſi, pugnam ſuſcipiũt, quomq; in ſupremum diſcrimen dimicatio

Militum quorundã Polonorum facinus

Thaurici Cęs. in Moſchos excurſio.

men dimicatio peruenisset, Moschi fuga per campos effusi, Tartaris uictoriã cum præda reliquere. Ea pugna Moschorum plus uiginti millia cecidisse mi/ *Cædes Moschorum.*
hi narratur, præterea tanta hominũ multitudo abacta, ut tumida Basilij mẽs
ad pacis cõditiones paratior q̃ ante sit effecta. quot ex Tartaris cœsi fuerint,
mihi minime constat, quom ea gens nihil posteritati litteris comendare so/
leat, nec etiam de seipsa quidq̃ referat. secũda hac fortuna Thaurici Tartari
euecti, iam mox iterum etiam post excusatum facinus, apud Hercinij nemo/
ris saltus, quem Sarmatæ nigram siluam appellant exercitum locauit, ut acce
pto secundi itineris fœlici auspicio irrumperent. habent enim barbari in stel/ *Sortes Tartarorũ & aruspicina.*
lis atq; lunæ motu uniuscuiusq; sortis indicia. Cæterum quando religionis sa/
cerdotibus ex usu uisum, eruptiones parant, mox in ipso itinere, primum ob/
uium barba ruffum interimunt, ereptum cor igni ad hoc paratum inijciunt,
astant tunc religionis primores, & cordis quosdam saltus sudoresq; suspiciũt,
ex his aruspicum more secundam fortunam pollicentur, uerum si cor unico
saltu extra ignem prosiliret, mali ominis & infortunati itineris apud barba/
ros est indicium, hisq; semper auspicijs/rebus suis bene uel male futurum pol
licentur. Quom uero hostes in eo loco eruptionem parare Senatui nuncian/
tur, decretum est regni uires (ne pristini mali exemplo respub. damnum pa/
tiatur) excitare. hostiumq; incursionem armis excipere, In eum effectũ/Chri/
stophorus Schidlouicius Cracco. Palatinus sincero studio apud Mylecium
conuentum indixit, ibi Senatus consulto mille equites priori in Podolia præ/
sidio addere, & ut expeditio publica reuocetur/decretum est, illud ad hostiũ
terrorem satis uirium uel nominis habere, istud ex reipub. usu multo maxime
utile uisum est. solet enim in publicis expeditionibus plerumq; amicus exerci
tus q̃ hostium legiones molestior amicis esse, hoc modo firmatis paulisper re/
bus ab armis tutum fuit. Eo loco iam parta tranquillitate apud Lithuanos
Moschica arma nihilominus expectabantur, sed & apud Samagittas Prusso/
rum irruptio fama nuncciata tumultum fecit. Sed quom præfectus Samagit/
tiæ arma celeriter corriperet, frustra eruptio tentata omissa est. hac æstate
apud Mazouitas quom fœminæ imperium fastidirẽt, tumultus inter nobiles *Tumultus Mazouiticus.*
excitatus est. huius summa fuit occasio sumpta, quod Stanislaum natu maio/
rem/Conradi olim Mazouiæ ducis filium/ad rempu. suscipiendum postula/
rent, & quod fœminæ iugum (quæ alieno consilio usa prouinciam multa pec/
cunia exueret) quasi intollerabile abijcerent. Quomq; frustra laborarent/Sta
nislaum Ianussiumq; duces cum matre & his qui ex cõsilio erant in Mackow
arce conclusos adorti, ui eripere nitebantur. in eo tumultu parum interfuit,
quin Stanislaus natu maior Mazouiæ dux ex arcu sagitta iacta, fuisset inter/
emptus, ita quem præficere tota nobilitas auide cupiebat/iniquo fato nolens
etiam pene extinxisset, hic tumultus paulopost per Ioannem Laskeum ar/ *Comitia Varschouiana.*
chipræsulẽ Gnezneñ pacatus, ad futura comitia reiectus erat. interim uero
nobilibus quibus Salewskei consilium plurimum suspectum fuit, comitia
apud Warschouiam indicta. quod quom Anna dux & tutrix cognosceret/e/
dicto Warschouieñ ne nobilitatem admitterẽt præcepit, Verum nobiles co/
gnito consilio immissis qui partem suam sequerentur summo mane ciuibus

ignorantibus perfractis portis ingressi, habitisq; & expletis comitijs/nulla facta molestia/Warschouiam excesserunt, hæc in proximis comitijs quæ Senatus absente rege apud Peterkouiam sub anni 1517. initijs celebrauit, utrinq; exposita, missi fuerant in eo negocio legati, Stanislaus Ostrorog Castellanus Calisień Palatinus Raueń & alij qui Stanislaū iam adultū rebus præficerent, nouū consiliū adderent, & alia quæ ex usu reip. illius uiderentur, ordinarent Edictæ fuere cōditiones, & utrinq; acceptæ, sed paulo postq̄ legati abijssent, Senatus nobiles & populus sua spe frustrati, ad pristina consilia redierunt omnia, hæcq; apud Mazouitas ex sedecimo āno ad decimum septimū initia seditionis facta constant. Hoc tempore Leo decimus Pontifex Romanus Iubilei gratiam in Poloniam dedit, cuius quarta pars in restaurationem arcis Camieneceń, trium uero reliquarum partium directa medietas, una in reipu. contra infideles defensionem, altera in restaurationem ecclesiæ Gnezneń Archiepiscopo cessit. In eam uero gratiam & quæ annis duobus postea data est, hominum deuotione uel frigescente, uel de indulgentijs et uenijs iam remissius sentire incipiente/parum pecuniarum accessit. Albertus Fontinus natiōe Italus professionis Franciscanæ nuper in Poloniā legatus atq; fratribus præfectus est, uir singulari doctrina & uitæ sanctimonia conspicuus. Is dum apud Craccouiam fratrum licentiam seuerius quā uellent cohiberet. facta a fratribus conspiratione quinta Septembris nocte, dormiens reseratis portis inuasus, nudus lecto extractus, curru forte inijciendus atq; in Boemiam euehendus (ut fama habuit) mutata sententia concionatoris manibus misere perfracta ceruice iugulatur, pro religione uitam dedit, sceleris auctores fuga dilapsi, decem postridie Ioānis Conarij Craccouień præsulis summa cura/uno concionatore dempto omnes capti atq; uinculis iniecti sunt, missi ad Lipouiciū quod castellum sacerdotum carcer est, & res ad sedem apostolicam data. O facinus in hominum memoria pessimum, & cui in hoc regno post diui Stanislai necem simile patratum non sit, homo/qui præter quod optimos mores institueret/quod uitæ sanctimoniam induceret, & quod iam pridem labefactatam religionem restitueret/nemini iniuriatus/pro tanto beneficio pessimā tulit mortem, & a fratribus, sed minoribus, recte sic appellatis, ut euentu rerū gestarum nomen ad posteros perferrent, o pessimum hominum genus, quod neq; per uitæ institutionē, neq; p facinoris immēsum pondus, ab instituto malo animum auocare potuit, malos ego appello, neq; boni poterint recensere, qui tales perpetue negabunt habuisse fratres. Postquā ad sedem apostolicam res data esset. Sigismundus in ea re summa cura egit, ne tantum facinus sine mulcta præteriret/ad pontificem litteras dedit. Deinde uero Anno 1517/Pontificis Romani mandatum Craccouiam peruenit. In diebus Februarij quattuor sceleris complices per loci ordinarios sacris de more exuti, duo ex eisdem capite truncati. reliqui perpetuis carceribus addicti fuere, nō multo post concionator apud Bardeouam, in Boemia Wilhelmi Bernstini oppido cum eius assensu captus & Craccouiam adductus quintadecima Maij sacris exutus. capite quoq; die 12. Iunij plexus est, qui uero perpetuis carceribus addicti nuper fuerant, ruptis postridie uinculis, quibus apud Episcopum Craccouień detinebantur, ad unum

Iubilei indulgentiæ.

Albertus Fontinus Minorita nus a fratribus occisus.

Suppliciū fratrum.

nebantur, ad unum fuga saluati sunt, an consilio ac fortuna, an custodibus admittentibus non habeo dicere, tamen immensum scelus in primis autoribus nihilominus grauissima mortis pœna uindicatū est, sed ad narratiōis seriē de rebus anni M.D.XVI. redeundum est. Eo anno die sextadecima Octobris, Franciscus Italus architectus insignis, gallico morbo antea multis annis correptus, morte extinctus est, hic quicquid Italici operis in Craccouieñ arce in eum diem perfectū fuerat, per totum latus quod urbem respicit, & hoc quod diui Wenceslai templum ambit, suo ingenio ad integrum perfecit. Hæc per æstatem apud Polonos Roxolanosq; gesta. MAXIMILIANVS Romanorū Cæsar & fœderis memor, & Sigismundi amore incitatus, iam de secundo matrimonio sollicitare cœpit, sub æstate Brzetislaum de Swyaw Boemum a suo consilio ad Sigismūdum in Lithuaniam usq; legatum misit, per eundem quid de Sigismūdi matrimonio fieri desyderaret exposuit, obtulit item duplex connubium utrumq; tanto rege dignum, & quod Sigismundus deligeret confecturum se ultro obtulit. Verum dum Sigismundus belli urgentibus curis detineretur, & recens simul ex Barbaræ reginæ paulopost fratris Wladislai morte uulnus saucium animum a matrimonij conditionibus longo tempore auocaret, alterum ex oblatis Maximiliani Sigismundiq; assensu alio uersum est. Cæterum postquā Maximilianus mox post Balthasari Oderij ex Moschouia reditum, Sigismūdum de Erberstein & Petrum Mraxium denuo in Moschouiam legatos uti supra narratur designauerat, Sigismundus ægritudine (uti fama habuit) præuentus iter intercepit. Sigismundus uero rex ex legatorum aduentu omnem rei bene gerendæ occasionem intermisit, quomq; diu frustra sperarentur, missis crebriter hincinde litteris, Petrus Mraxius in fine Octobris Craccouiam peruenit. Verum quom nec apud eum legationis instructiones essent, Sigismundum per totum mensem Nouembrem apud Craccouiā expectauit, quom & hoc frustra euenisset, in initio Decembris / Viennam non sine Sarmatarū stomacho discessit, breui reditum pollicitus, sed anteq̄ collega ad hoc iter se accingeret / morte præuentus / breui malo / diuturno itineri & ingenti negocio se subtraxit. Paulo supra quam hæc facta, apud Prussios / qui Polonorum imperio parent, tumultus inter nobiles ac Gdaneñ simul & plebem ortus, qui Sigismundo iubente, per Matthiam Dreuicium Wladislauieñ præsulem, in ipsis initijs placidissimo hominis ingenio mox extinctus est. ad finem item mensis Nouembris Tartari qui apud Hercinios saltus consedisse supra narrantur, accepto auspicio quattuor exercitibus Russiam ingressi, aut quod præda nuper abacta animauerat, aut quod pestis sæuicia (ut traditur) ex campis pellerentur, adacti, Primus Caminicium / Secundus Lithauitium / Tercius Medzibozium / ultimus Sincouieñ districtus inuadunt, Sarmatarum duces qui rebus nuper præfecti sunt, cum militibus qui ex Miletio cōuentu suscepti fuerant / & nobilitate quam patriæ malum armauerat / hostibus intrepide occurrunt, Stanislaus Lanskroneus Cameneceñ arcis præfectus / Miedzibozium Lithauitiumq; districtus tutandos suscepit, bino congressu hostes omni præda exuit / atq; fœliciter superauit, captis item ex prioribus aliquot. In horum hostium recessu / Illustris Roman ducis. Con-

Franciscus Architectus. 1516

Maximilianus imper. auspex nuptiarum.

Legati Cæs. ad Moschos.

Tumultus Pruthenicus.

Excursio Tatarorū in Russiā.

Romani cędes

stantini nepos eos inuadit, sed quom auidius pugnans in hostium medio esset infœlici sorte equus quo uehebat cecidit, ipse ab hostibus in frusta concisus est. Septima uero Decembris usq; sub Medzibosiũ Quadringenti Tartari uenerunt, his milites mercenarij qui eo loci tunc erant Paulo Pharurey duce occurrerunt atq; apud Radzymycze uillam uiriliter pugnantes tercia ferme noctis hora superarunt. Sequenti autem die apud Synckow, Saczygnijowskeus mercenarij militis præfectus/homo ad omne periculum inuictus/& dux & miles omni sæculo dignus/Mille Tartarorum equites adsequutus, flagranti animo gloriæ immortalis cupidus/impari numero congressus est, cuius furentem manum hostes aliquantum ferentes/paulopost & ducis & militũ inuicta manus hostibus terrorem, & nullam præterq̃ fuga quæsitam salutem ostendit, fusi igitur ac cœsi sunt barbari/capti item nonnulli, ali qui fuga ad futura mala seruati & dilapsi sunt. Atq; hic anni M.D.XVI. supra adscripti finis est.

Victoria apud Medzybosiũ.

Victoria duce Sanczygniowskeo.

FINIS.

HACTENVS LECTOR CANDIDE SIGismundi inclyti Regis tempora/Inuictissimiq; populi Polonici sub eius imperio res gestas/per compendium scribere/atq; eius rei metam facere, placuit. Reuocant enim ab instituto meo, tria hæc potissimum. Primum quod uiuentium res non satis tute publicantur, ubi si gloriæ aliquid dederis adulationis nota est. si contra uitio uerteris crimẽ hic quoq; periculum ingens est. In summa ueritatis studium & in hac potissimum ætate ubiq; & ab omnibus (uere malis) impetitur. huic secundum est q̃ non nisi de transactis rebus integrum est iudicium. Postremo loco quia decimus septimus annus noui matrimonij facit initia, noua ac inclyta Regina ex Arragonum regum Mediolaniq; ducum familijs clara, deinceps uel mihi uel alteri ad hoc magis nato quarti seu noui libri faciat quoq; initia. Præterea ille ãnus Moschici belli narrationem faciet/dehinc decimus octauus. Reginæ coronatione insignis erit, decimus nonus uero Prutenici belli initium cõstituet, cuius inducias quadriennales uigesimus primus excipiet. Quarum omniũ ego seriem consulte reliqui incontextam, posthac (si uiuere dabitur) tibi lector ea perfecta aliquando daturus in lucem. Ego quidem si uere candidũ nactus fuero lectorem facile ueniam habiturus sum, si me subinde & ubiq; de meipso monentem intelliget. Verum si cui domi uel foris ex me negocium fecerim/tu lector iudicium in omnibus facito, tamen mortaliũ omniũ res uarijs periculis atq; casibus subiectas/& quom tot ferme sensus quot hominum capita existant, difficulter ab uno quod omnibus sapiat emanare posse memineris.

Ancipitia scriptorum.

Summa ãnorũ aliquot post 1516.

Vale.

Errata inter imprimendum commissa.

Pagina 4	versu 10		lege Hebręis pro Aegiptiis.
Pa. 7	v. 7		le. Sarmatæ pro Sarmatię.
Pa. 8	v. 35		le. fines pro fine.
Pa. 19	v. 9		le. cui si fides pro cui fides.
Pa. 30	v. 29		stat eodem forte āno amissa, tu expunge totū
Pa. 35	v. 19		le. nutu pro mihi.
Pa. 36 37 38 39			le. titulum de Iagellonum familia.
Pa. 36	v. 2		le. repetiisse pro reperiisse.
Pa. 39	v. 2		le. orationis pro orationes.
pa. 39	v. 10		le. pręstolabatur pro pręstolabat.
Pa. 45	v. 24		le. direptione pro diriptione.
Pa. 47	v. penultimo		le. omnium ore pro omnium ora.
Pa. 47	v. vltimo		le. adseruata pro adseruatę.
In pręfatione tertii libri	v. 42		le. historia pro historię.
Pa. 65	v. vltimo		le. vigiliis pro vgiliis
Pa. 81	v. 20		le. primam pro primum.
Pa. 83	v. 27		le. abhorruere pro abhorrere
Pa. 88	v. 41		le. consilium pro concilium.

Impressum Craccouiæ opera atq; industria Hieronymi Vietoris Chalcographi. Anno M.D.XXI. mense Decembri.